



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
Iesv De Adoratione In Spiritu Et Veritate Libri Quatuor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Lib. II. Quæ ad illustrationem, & Christi Domini imitationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII
EX SOCIETATE IESV

D E

ADORATIONE

IN SPIRITV

E T

VERITATE

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De diligenti curâ orandi.

NON sum dignus, ô humanissi-
me Deus, qui cùm ineffabilis
sis, es super omnes affabilis,
non sum dignus vt me respi-
cias; quomodo vis vt tibi as-
sistam & alloquar? O humilis Maestas, quæ
non dedignaris colloquia & orationes homi-
nis, imò cupis & hortaris, vt sine intermissio-
ne oremus! Et tanta est rusticitas humana,
vt te tuamque conuersionem fastidiat: per-
inde te amatorem animarum æstimat, ac
hostem

hostem capitalem. Quid prius facit infensus homo cum inimico suo, nisi sermonem negare? Tecum quoque, Veritas dulcissima, fermocinari nolumus homines; quia non amamus veritatem: nam quid aliud facerent, si odisses homines, ac faciunt cum tenerimè ames? Ut aduersarij aduersarios non consultant de rebus suis & periculis, etiam sapientissimos: sic mortales periclitantes passim, & indigi consilio, nolunt à te illud petere, nec doceri, non audiendo oracula tua & doctrinam, quâ in oratione nos instruis. Homines irati malunt perire, quàm remedium indigentiae suae à capitali aduersario postulent, ne illum alloquantur: pari proteruità sunt erga te, ô affabilissima Ineffabilitas: sèpè egent, affliguntur, pereunt, quia à te non petunt auxilium, nec loquuntur: quod maius odij signum, quàm duos degere in eadem domo, & nolle vnum colloqui cum altero? Mentitur homo, si Deum diligere dicit, & intra se morantem numquam alloquitur. Amicitia muta non distinguitur ab odio.

Deus ab æterno cogitauit te, & tua, ô ingrate spiritus: ius est, vt etiam breui spatio vitæ diuinam pulchritudinem consideremus, & accedamus ad eum, qui tam propinquus nobis voluit esse, vt naturæ nostræ se vniret: & intra pectus nostrum toties venit, & ne discederet

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. II. 109
cederet à nobis , cùm ascendit ad Patrem,
inuenit artificium diuini sui Sacramenti , vt
nobiscum quoque maneret præfens. Nostra
verò impudentia & desidia inuenit quoque
modum , vt cùm ad Deum venimus in loco
orationis , etiam tunc abeamus , & fimus ab-
sentes alia cogitádo, & distrahendo nos: tam
longinqui à Deo esse curamus , vt cùm ad
nos ipse veniat in amabilissimo suo Sacra-
mento , fugiamus ad vanas aliorum negotio-
rum cogitationes ; & accepto tanto hospite,
statim exeamus foras.

Sed si Deum non reuereris , ô homo , mi-
sereris saltem tui : amorem orationis neces-
sitas tua suadeat , si non necessitat amor Dei.
Totus es homo ignorantia , totus indigentia:
solùm in oratione sapias & ditescas : in ora-
tione aperiet Deus oculos tuos , vt sapias ; &
manus , vt capias tuæ egentix remedia. Equè
placent Deo orationes nostræ ; vt placet illi
dare , quod summè placet , fructus naturæ
suæ beneficæ. Non creauit Deus mundum
ex auaritiâ , vt haberet plura ; sed ex liberali-
tate , vt haberet quibus daret : propter hoc
creauit omnia , vt haberet , & quibus & quæ
daret. At quia per peccata nostra indigni fa-
cti sumus liberalitate suâ , frustrato fine Vni-
uersi , gratissimæ sunt Deo orationes nostræ ;
quia instaurant indignitatem ex peccato , ex-
hibitâ

hibitâ Deo occasione faciendi per eas illud propter quod fecit omnia, quod est benefacere: vt perinde quodammodò sit Deum precari, ac si restitueretur mundus. Non potest Deus abstinere, nec se continere à largitione suâ; perpetuò cupit benefacere: ideò nos exhortatur, vt oremus sine intermissione, quia sine intermissione cupit dare: quomòdo irritum facimus votum Dei, & bonum nostrum? Mendica importunè: nam grata erit Deo hæc importuna impudentia petendi.

Differt aliquando Deus concedere postulata, quamuis cupiat donare; quia indignè petimus, aut non dolentes de peccatis, aut in nostris meritis confisi, aut non reuerentes, aut temporalia nimiùm optantes, aut spiritualia parum: & plerumque talia petimus, & taliter, vt ipsa concessio petitionis meritò aliquando sit supplicium illius. Anne conueniens petendi modus esset à patre quodam, si homicida vnigeniti sui mucronem, quo confodit filium, terens in manibus adhuc cruentis, à patre peteret hereditatem filij? quæ maior impudentia? dignus hic erat vt auferrentur concessa, non vt darentur noua. Hoc faciunt sæpè homines, culpas non horrentes, aut impœnitentes. Peccata sunt, quæ occiderunt Christum: oportet puros & mundos accedere ad orationem, insuper nullis propriis

priis præsumentes meritis, sed propriam indignitatem agnoscentes ornare nos vestibus fratris nostri IESV, ex astutiâ Iacob, quò accipiamus benedictionem à Deo. Induamus nos meritis IESV, quæ nostra sunt: nam illa nobis commodauit, non quòd nos formaliter iustos & gratos Deo faciant, sed quia sunt causa nostræ sanctificationis. Ita ornati appareamus in oratione per Vnigenitū suum, precantes Deum, quod negare non potest: tunc nō tibi, sed Christo petis, & Christo fit gratia. Si quæ tu concedis pauperi petenti in nomine Christi, Christo putas concedere, idem faciet Pater æternus. Si tu moueris, quādo per Christum aliquando petitur; quantò promptiùs Deus mouebitur ad eleēmosynam? anne minus misericors est Deus, quàm tu miser?

Sæpè tamen non suades Patri, etiamsi alleges merita Filij; quia tibi non suadent merita ipsa & dolores Christi. Vt orator persuadeat, dicunt, debere esse persuasum. Queri de Deo non potes, si non concedat tibi gratias, quas petis ob passionem Filij: cū tu ob illius mortem non velis deponere culpas & defectus quotidianos, quomodo vis inclinare Patris voluntatem ad te, ob sanguinem Filij sui, si ob eundem sanguinem nondum relinquere vis tuam totam voluntatem? Si irreuerenter petis, cur te putas exaudiendū esse,
ipsâ

ipsâ petitione dignum supplicio? Homines volunt non tantum vrbane sed humiliter rogari: & tu Deum præsumis exorare elatus, immodestus, distractus? Disce à Christo orare in horto, prostratus in terrâ, & velut tremens totus, sanguineum sudorem fundens. Si te secum separaret, vt simul cum illo orares coram Patre æterno, spirituum Hierarchyis stupentibus, ac Ordinibus comitantibus Angelum illum, qui ipsum IESVM confortauit, etiã tunc dormire velles, vt tres Apostoli, quos semotos reliquit; aut interim cogitares de ridiculis rebus temporalibus, videns tam nouum angorem Christi pro peccatis tuis, & attonitam reuerentiam Angelorum? Qui pro peccatis propriis cum lacrymis oraturus es, cur cogitationibus ludicris delectaris? Quantâ diligentia aduocatus orat coram homine pro causâ alieni capitis? tu ne sis deses coram Deo pro criminibus tuis.

Confidera quoque quæ postules: quis pater petenti filio scorpionem aut lapidem, non daret potius ouum aut panem? Quid queris de Deo, si dum temporalia petis, quæ sunt venena quibus te occidas, & aduersus Deum insanias, concedat spiritualia? Furioso petenti gladium suum proprium, vt noceat alij, non licet dare: quanto minùs, si vt læderet ipsum concedentem? quomodo

Deum

Deum tam scelestum aut stultum putas, vt tibi petenti quæ non sunt tua, velis arma à Deo dari, vt te & Deum ipsum offendas? Disce iterùm à Christo orare. Non fiat, ô Veritas amabilissima & amantissima, sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua in omnibus: tu scis quæ mihi expediant. Ipsa quoque bona spiritualia interdum differuntur, quia nondum debitâ æstimatione petimus; nec pari ardore & desiderio appetuntur, quo temporalia quærentur. Ferè indignè petit, qui remissè petit magna: vult Deus dignè peti, quæ digna sunt à Deo obtineri; & ipsâ dilatione desideria nostra accendit, & digniores nos facit. Putant homines Deum trahere quali quali honore in vota sua futilia, & quibusuis obsequiis adulari, & velut puerum crepundiis delinire. Ideò oportet non semper se facilem reddat Deus; sed dignè dare dona digna suâ manu, aut præueniendo omnes preces nostras, aut, si expectat illas, expectando dignas. Nam cum vltro non vult largiri munera, sed obsecratus; non facit ob defectum liberalitatis, sed ex desiderio nostri profectus, & probatione ac exercitio nostri affectus. ideò decet expectare iustas preces & digna desideria, nec contemptibilem facere gratiam, dando ei qui illam iam contemnit, dum tepidè cupit, quæ enim ægrius conse-

H

qui-

114 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
quimur, non vilis pretij putamus, & spes pro-
ducta gratiorem fructum facit. Plerumque
petitiones nostras Deus commutat in alias
gratias magis occultas nobis, aut expectat oc-
casionem commodiorem: nam si modò da-
ret, fortasse superbiremus, aut ingrati citius
essemus.

Oportet quoque orare pro aliis: qui pro a-
lio precatur, prius participat & libat ipse gra-
tiam: qui alium oleo perungere vult, prius
manum suam ungit. Sed mendicitatis quo-
que tuæ semper sis memor: velut Lazarus, à
Deo, & Sanctis, & Angelis eleëmofynam pe-
tas, cupiens satiari de micis Bonorum cæle-
stium. Vagare & lustra velut per vicos ordi-
nes Angelorum, & choros Sanctorum; &
vbique stipem gratiæ mendica; præcipuè à
beatissimâ virgine Mariâ, cui magnum con-
cessum est ius dispensandi illam; quæ velut
mater familias in domo Dei, misericordiæ
claves habet. Clama, ostende vlcera tua, nu-
ditatem & egestatem. Pudeat te, aliquem
mendicum remedium suæ necessitatis tem-
poralis postulasse ardentius, quàm tu reme-
dium spiritualis indigentiaë postulas; & om-
nium mendicorum affectus tu solus velis ha-
bere erga exiguum gratiæ gradum. Maiori
affectu debet desiderari auxilium minimæ
necessitatis spiritualis, quàm remedium om-
nium

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. II. 115
nium temporalium, si in te vno essent. Eru-
besce quòd indigi calamitatem tecum sen-
tiant, & humiliter opem deposcant cum la-
crymis; & tu ficcus sis, gaudens in tantâ ino-
piâ spiritus, & grauissimis necessitatibus. Hu-
milia te, vt faciunt mendici, animos conci-
lia, expecta patienter, & importunè insta; &
ferè impudenter molesta precibus Deum, vt
propter importunitatem saltem extorqueas
eleëmofynam.

C A P V T II.

*Quòd non oporteat intermitteri studium
orationis.*

Quantò pretiosior est anima quàm cor-
pus, tantò magis oportet curare oratio-
nem, quàm cetera corporalia commoda.
Quantus apparatus necessarius est, conser-
uando vitam & salutem corporalem, in do-
mo, lecto, vestitu, victu quotidiano? multò
plus necessarium erit vitæ & saluti animæ,
quæ plures & maiores inimicos habet quàm
corpus. Corpus habet inclementias cæli &
famem: anima habet aduersarios etiam ip-
sos inimicos corporis, insuper ipsas commo-
ditates corporis, ipsum prætereà corpus: de-
inde mundum totum, & infernum cum om-
ni militiâ suâ; imò interdum ipsos fauores
H 2 Dei,

116 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
Dei, & virtutes suas, si nesciat illis uti, & cum
humilitate seruare. Aduersus hæc omnia vni-
cum auxilium habet & refugium orationis.
quomodo poterit contemni aut intermitteri a-
liquando, cum corpus plura arma aduersus
pauciores & minores aduersarios habens, fe-
rè totum diem in sui curâ velit impendi, &
numquam sui studium intermitteri. Plerique
quia se vident firmos & constantes in propo-
sito sancto, non putant detrimentum inter-
mittere exercitium orationis ob aliquam oc-
cupationem laudabilem. Caueant, caueant,
ne decipiantur: fortasse deficient, etiam si se
fortes sentiant. Qui robustum se videret, si
nollet comedere, ut interim magis labora-
ret? absque dubio tandem deficeret, & se
imbecillem experiretur: ita qui se constan-
tem sentit in obsequio diuino, si ut exer-
ceat plura opera exteriora, etiam pia, de-
trahat tempus orationi, demum tabescet,
& se imbecillem experietur. Numquam est
prætermittenda oratio; quia numquam præ-
termittitur victus corporalis; & si aliquan-
do intermittitur, restauratur postmodum.
Si quis ut multum laboraret, per triduum
aut quatrimum nollet somnum capere, bre-
uè insaniret: opus est quinque horas vel plu-
res quietem capere singulis diebus. Animæ
quies oratio est: plerique insaniunt sanctis
propositis

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 117
propositis remissis, quia ad eam serò accedunt.

Sit oratio, quæ est victus & requies animæ, quieta & tranquilla: nam cibum corrumpebimus, qui simul nobiscum futurus est cibus vermium, quieti & sedentes sumimus. Commodum orationis non est tantum horæ & temporis cum Deo benè exacti, sed totius diei. Modicum fermenti totam massam corrumpit: modicum orationis totum diem condiet & seruabit. Non tanti refert oratio pro eo spatio temporis quo oramus, quòd non perdamus illud, & præclare consumamus: maximi refert pro toto die, ne integrum perdamus. Ex breui pendet utilitas longi temporis: si totum diem vis lucrari, vnâ saltem horam, postquam expergiscas, impende in oratione. Post debitam & feruentem orationem obuersantur sanctæ illustrationes, inter ipsas occupationes diei. Ex magno sonitu iam transacto adhuc restant tinnitus quidam, & ex diurnis actionibus manent in somniis vestigia quædam & repetitiones: sic ex quiete orationis refunduntur inter diurna negotia imagines quædam, & cogitationes miscentur diuinæ: qui conspicit solem fixo obtutu, deinde in omnibus quæ videt, repræsentatur ei species solis. Iuuat etiam oratio, etsi satis cognoscas quæ ad offi-

cia iusta requirantur, vt fortiùs tibi hæreant. Ipsæ veritates, prudentiâ, experienciâ, doctrinâ & lectione acquisitæ, penetrant magis in oratione cùm de alto veniunt: magis iuuantur arua, cùm de cælo, quàm cùm è fonte & riuo rigantur: lapis quantò de eminentiori ruit, fortiùs cadit & tundit terram. Eadem veritas de cælo lapsa, plus penetrat & tundit corda, feruorem & deuotionem magis excitat. Inclinationes nostræ prauæ, sunt quæ nos à Virtutis tramite abducunt: orationis beneficium hoc impedimentũ tollit, generat per deuotionem inclinationes ad bonum; & est fomes quidam benè operandi, præuertens peccati fomitem. Sed quid commendo vtilitates orationis? sufficiat mihi, ô Veritas diuina, quòd in oratione humanissima ostendaris, & benignissima mihi fias: ibi te retegis, ibi te amplector, & tecum in hoc laborum tumultu quiesco. In oratione, velut in throno tuo, manifestaris Veritas clarissima caliganti spiritui meo, ne fit in eo dolus.

Oportet quoque prolixius orare, dum per valetudinem & ætatem licet, vt compensemus tempus ægritudinis, cùm non possimus: & semper reputandum est, parum orasse. Eleuatissimus & zelator Dei pater Didacus Martinius vsque ad quatuor mille actus amoris Dei quotidie faciebat, cum summâ diligentia

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 119
ligentiâ & ratione; suasque rationes seorsim
habebat, vt satisfaceret pro tempore extremi
morbi, si fortè tunc non posset vacare Deo
vt desiderabat: prætereà decem horas quoti-
die cum Deo suo ex otio agebat. Deuotus pa-
ter Michaël Sosa, cùm senium & acrimonia
dolorum intensorum vltimæ & prolixæ æ-
gritudinis interrumperent studium oratio-
nis, cohortabatur fratres nostros, & de se
querebatur, dicens: Vlciscimini, vlciscimini
fratres in conatu orandi, dum per vigorem
& valetudinem potestis, restaurando futu-
ras naturæ iniurias, cùm orare cupietis, nec
anni nec morbi concedent. Doleo nunc non
posse orare, cùm velim; doleo non orasse,
cùm potui. Sic se accusabat ille, qui adeò
occupauerat animum in Deo orationis stu-
dio, vt raptus extra se incederet: abluturus
manus, sapiùs fricabat illas siccas clauso
orificio fonticuli, & ipse putabat madefieri;
postea tergebat linteo quasi lotæ essent: non-
numquam excessu spiritus rapiebatur vsque
ad octo horas; & ad se reuersus, dumtaxat
quadrantem horæ existimabat. O pudor, &
torpor noster! cùm plus egeamus oratione,
statim fatigamur; & longum putamus exi-
guum tempus quod cum Deo impendimus,
siue potius lucramur: at cùm perditur con-
fabulationibus hominum, breue arbitra-

H 4 mur:

120 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
mur : & , si tamdiu duramus in oratione,
quamdiu sæculares in vno conuiuio, nimium
existimamus?

CAPVT III.

Quàm efficax sit Christi gratia & fauor.

VTinam quis semel nosset & explicaret,
quod gestit mens intelligere, & nondum
valet! O quantum in corde meo molior per-
cipere, & non satis concipere possum! Da
mihi, Veritas æterna, vt claris oculis intelli-
gam aliquid quod in Christo habeo, & im-
mensas, quæ in IESV mihi seruantur, diuitias.
Nescimus, nescimus ô mortales, quantum in
Christo possidemus. Fratres Ioseph afflige-
bantur fame, quia nesciebant fratrem suum
regnare in Ægypto: quid affligimur homi-
nes? frater noster regnat in cælo. Peccatores,
mendici, miseri, afflicti lætamini; quia ille
frater vester, qui vos plus quàm omnes alij
homines diligit, qui solus fidelis vobis manet,
gratissimus Deo est, locupletissimus est, Deus
est, afflictus pro vobis fuit. Gratulor, gratu-
lor peccatoribus; quia Christus est perfectis-
sima satisfactio diuinæ iustitiæ, omni spe &
prædâ suâ de vobis illam frustrans, sine dolo
villo, & cum magno iure. Christus est sola-
tium diuinæ misericordiæ, & opulentia cle-
men-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 121
mentia Dei. Gratulor mendicis, gratulor
miseris, gratulor afflictis; quia frater vester
amantissimus est, qui distribuit diuitias diui-
nas pro libito suo, qui concedit beatitudi-
nem, qui gaudia vera largitur: non extra-
neum vobis, non Angelum, sed fratrem ip-
sum vestrum Deus constituit Dominum
domus suae.

Christus fidelissimus amicus noster est:
nam cum non poteramus (quoniam nudi &
miseri fueramus) comparere ante Regem, ad-
huc vt impetraremus misericordiam, ipse no-
bis dedit pretiosissimam purpuram suo San-
guine tinctam, gratiam suam passione meritam
& nobis inhaerentem, vt coram Rege Deo &
Patre suo non tantum non indignè, sed ho-
noratissimè appareremus. Ipse famelicos
nos alit suo Corpore, ipse sitibundos nos re-
creat suo Sanguine: ipse locupletissimos nos
fecit, donans thesauros meritorum suorum.
Si vis scire quàm sint tua merita Christi, vt
possis per illa impetrare gratiam, & offerre
Deo, vt misericordiâ tecum vtatur; inde col-
lige, quod sua reputauerit Christus peccata
tua. Verba delictorum meorum, in personâ
innocentissimi IESU dicitur. Non tamen
proinde putemus, ita esse nostra merita Chri-
sti, vt non habeamus opus mereri amplius,
sed desides & ignauos saluandos esse: nam

H 5 non

non fuit mortuus IESVS , vt negligentes esse-
 mus , sed vt feruidi & ardentis in obsequio
 diuino . Quemadmodum Christi anima
 non damnaretur propter peccata tua , nisi fe-
 cisset ipsa aliquod peccatum , quod impossi-
 bile fuit : ita nec tu saluaberis propter sola
 merita Christi , nisi etiam facias bona opera ,
 & habeas gratiam in te inhærentem ; quod
 tamen etiam est per ipsum Christum . Dedit
 igitur nobis merita sua , vt illis tamquam pro-
 priis vteremur ad placandum Deum ; quem-
 admodum ipse peccata nostra vt propria ac-
 cepit ad satisfaciendum , eaque velut propria
 luxit , doluit , & satisfecit pro illis . Non sim-
 pliciter opera mera dedit , sed cum dignitate
 suâ , vt facta à personâ diuinâ : vt sicut ipse
 peccata nostra supra se accepit tamquam fa-
 cta à vilissimis & seruis creaturis ; sic nos eius
 merita habeamus nostra , vt facta à Filio Dei
 æquali Patri .

Imitemur Christum , quomodo accepit
 culpas nostras , & vt proprias habuit ; vt scia-
 mus vti meritis eius , & vt propria habere .
 Æstima peccator tua Christi merita , & sic
 confidentissimè pete : hoc erit petere in no-
 mine Christi . Multò magis ad hoc profunt
 merita Christi data nobis , quàm si nos ea o-
 pera fecissemus , & crucifixi essemus pro glo-
 riâ Dei : nam tunc non essent opera Dei , sed
 homi-

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. II. 123
hominis peccatoris. Vide quantum debes
Christo, qui tua peccata suscepit, & sua dona-
uit merita, qui tanta mala à te abstulit, & tan-
ta bona est largitus. Duæ sunt istæ obligatio-
nes infinitæ, ex quibus hanc satisfactionem
à te cupit: vt quemadmodum ipse satisfacit
pro peccatis tuis, ac si ipse patrasset; sic tu
non aliter offeras Deo merita Christi, ac cu-
res lucrari illis gratiam & merita tua, quàm si
tu fecisses.

O IESV suauissime, vtinam nossem quan-
tum commodum & utilitas nobis miseris
fuiſti, & es! Horrenda monſtra eramus; iam
per te ſumus gratiſſimum ſpectaculum Deo:
in limo & fundo inferni eramus; iam ſumus
in ſinu, non dicam Abrahæ Patris gentium,
ſed Dei Patris tui: in gutture draconis tarta-
rei eramus; iam per te ſumus in corde Dei:
indigni eramus diuinis oculis; iam ſumus di-
gni amplexibus: ſerui damnandi in ergaſtu-
lo tartari eramus; iam per te erimus Reges
coronati in cælo. Quis nouit quò præcipi-
tati fuimus, & quò nos exaltaſti? Satis eſſet
contenta miſeria noſtra, ſi extraxiſſes nos ab
inferno; ſed non miſericordia tua, niſi ele-
uaſſes ſupra cælos, & tot Angelos: nimium
feciſſes, cum nos eramus deiecti in miſeriam
irreparabilem, & desperatam omnino vt im-
poſſibile eſſet nobis remedium, ſi impetraſ-
ſes

ses à Patre suspensionem iræ; sed tu impetrasti veniam: nimium fecisses, si impetrasses veniam; sed insuper conciliasti benevolentiam, amorem & gratiam eius: nimium & stupendum fecisses, si impetrasses solum benevolentiam eius; sed impetrasti etiam munera & dona: nimium & admirandum fecisses, si impetrasses minimum munus Dei; sed impetrasti nobis Regnum, & ipsam hereditatem tuam: nimium fecisses, si impetrasses hoc semel; sed impetrasti ut infinities nobis daretur, si toties perdidissemus, dum postea ad te pœnitentes confugeremus: denique quidquid Dei est, nobis impetrasti; & dignatus fuisti admittere nos pridem fœtidissimos & abominabiles, ut tecum coheredes essemus. Vide homo, unde Christus te eripuit, & quò te introduxit. Si alium hominem tu fortuito sine consilio tuo & studio liberares, non à morte, sed vel molestiâ qualibet, quas gratias expectares ab illo? Feræ ob leuia beneficia gratae sunt: atrocissimus leo ob vnam spinam erutam è pede seruauit gratiam post multum tempus, & rependit: cur immensa Christi beneficia deterioris conditionis sunt facta nobis, quàm quæ fiunt feris; & non potius stupemus, & præ gratitudine deficimus? Sed fortasse obligatus nobis erat Christus, aut facile fuit & sine sumptu suo, quod fecit?

Imò

Imò inimici eramus : negotium fuit desperatum & difficillimum : sumptus non minoris sterit , quàm pretio sui Sanguinis & vitæ.

O charitas Dei immensa, quanta pro odibilibus hominibus fecisti! cùm eramus in salute impossibili, & non habebamus consilium, excogitasti misericordissime Deus remedium, consilium, ac machinam stupendæ misericordiæ; & cùm nobis impossibilis esset executio post inuentum remedium vnicum, ipse voluisti exequi. Sed quale remedium? Quis captiuus auderet optare, nedum petere, quòd Rex suus, vt ipse liberaretur, fieret pro illo captiuus? Tibi, IESV mi, placuit pro nobis plus exequi, quàm nos auderemus sperare aut optare. Tu Rex gloriæ factus pro nobis vincus, reus; imò & damnatus, & mortuus pro nobis inimicis tuis, qui crimine læsæ Maiestatis te offendimus. Mirandum foret si Imperator supremus visitaret in carcere malefactorem aliquem rusticum: quid si proditorẽ suum? quid si ob illum relinqueret thronum suum, & mutatâ veste maneret loco illius in carcere, vt foras eiiceret malefactorem? Tu fecisti hoc, amantissime IESV. Numquam satis celebratur gloria illius, qui pro amico se substituit in vinculis, vt eum liberaret; & illius serui, qui pro Rege se obie-

cit

cit hosti, & morti; & illius patris, qui pro filio dedit vnum oculum. Sed non mirum, si amicus pro amico, si seruus pro Rege, si pater pro filio charissimo id fecerint. At meus IESVS quantò plus fecit pro me, non amico suo, sed inimico; non Rege suo, sed vili mancipio diaboli; non filio suo, sed perditionis? Si dimisisset scelus meum, satis esset; sed reliquit solium suum, amisit vitam, & insuper transtulit in me Regnum suum. Si solùm opprobrium & infamiam peccati mei abrogasset, immensa clementia esset, licet pœnam non indulgeret; sed & indulgit pœnam, & cumulauit gaudio & gloriâ. Fortassene fabula hæc, an fides infallibilis? si veritas, quomodo tantùm narramus hæc ore, & corde non afficimur erga personam Christi, qui suum cor nobis tribuit, & inclinauit, & inclinât in nos cor Dei? O quàm gratissimus IESVS nobis debet esse, per quem grati Deo sumus! quàm amatus nobis, per quem à Deo amamur!

Confidera, quanta bona in Christo frueris: absque dubio Deus non ferret nos, nec tolerasset impudentiam nostram, nisi Christus medius esset: ipse nos deformes coram Deo comit & venustat: ipse pauperrimos nos & nudos, vt ante Deum comparere non possemus, induit gratiâ, exornauit vestibus suis,
&

& donauit meritis, vt comparere valeamus. Quantâ gratitudine fuit affectus Christus erga Martinum, quia dimidium pallij dedit illi? Iactabat, & quasi præsumebat IESVS coram Angelis cum frusto illo lacero, & nos sumus Christo ingrati, qui purpuram & diuinam vestem dedit nobis nudis, indignis, leprosis, non quò tegeter horrorem lepræ solùm, sed radicitus auferret morbum horrificum, & velut in Iordane lotos, vt Naaman pulchros nos verè faceret & sanos: nec æstimamus vestem & gratiam, & merita sua, propter quæ nos tolerat Pater, nos respicit, & quod summum est, nos amat. O mortales ingrati! quomodo non euellitur cor vestrum post Christum, qui est thesaurus noster, & diuitiæ, & pulchritudo? Sine illo deformes sumus, & inuisibiles coram Deo, per illum pulchri & visibiles.

Perinde se habet Deus erga genus humanum & Christum, vt oculus erga obiectum suum, quod est colores & lux. Sine luce omnes colores inuisibiles sunt, nulla est pulchritudo; ipsa solùm reuelans colores venustate donat: sic Christus lumen ad reuelationem Gentium, facit vt Deus respiciat homines, visibiles iam & gratos illi, qui pridem in tenebris & in vmbra mortis iacebamus. Lumen est primum & maximè visibile, valdè consen-

consen-

consentaneum sanis oculis : per illud reliqua videntur , & solum videntur quatenus participant illud : nam cum luce , aut in luce , aut per lucem colores videntur : in colore lux , cum oculo lux , per medium aërem lux est. Ita Christus est quod oculis diuinis primum & maxime visibile est , magis gratum & acceptum visui Patris ; ceteri homines solum , quatenus participant Christum. Per ipsum , & cum ipso , & in ipso videntur : ipse reddit nos aptos , & dignos respectione diuinâ. Tota gloria & gratia colorum , lux est , lucis beneficium est : tota gloria , honor , gratia hominum , Christus est , Christi beneficium est. Vide , quomodo iacent pretiosissimæ & pulcherrimæ res noctu ; perinde sunt ac si non essent : ita sublimes naturæ , subtilia ingenia , sine Christo in tenebris sunt , nihil sunt. Quid tu gloriaris , nisi in Christo ? Sine luce pulchra & deformia æqualia sunt , perinde ac si non fuissent : sine gratiâ Christi , perinde est sublime & acre ingenium , ac rude & hebes ; reliquæ naturæ , artis , & diligentix dotes , tantumdem sunt ac si nihil essent. Cælum quoque & Sol beneficus est per lucem dumtaxat , per quam omnia operatur : sic Deus solum per Christum beneficia sua præstat. Cælum non admittit aliam qualitatem simplicem ex nostris nisi lucem : ita neque in cælum ascen-

ascendet homo, nisi in quem Christus splendet; neque oratio benè admittetur, in quâ Christus non sonet.

O IESV lux hominum, lux vera quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina me, vt respiciat me Pater tuus: qui si in me aliquid tui viderit, non poterit me reicere, si à me nomen tuum audierit, non poterit me non exaudire. O vis gratiæ Vnigeniti Christi, per quam tot grati & gnati Deo sunt! Vbi Christus est aut sonat, illuc misericordia aduolat; ibi misericordia est. O efficax vox per Christum, quâ delinimus Patrem & vrgemus! Quomodo obsequia Filij Vnigeniti, obedientissimi, sanctissimi, officiosissimi, amantissimi, non commouebunt tenerrimè ipsum Genitorem, præsertim cum ab illo solo se videat amari pro dignitate diuinâ, inter tot iniurias hominum? Nomen Filij, sine vlllo obsequio, gratum est etiam scelestissimis & auaris hominibus: quid erit titulus Filij, & tot seruitia facta, Deo beneficentissimo etiam erga inimicos & ingratos? Qui considerat officia Christi erga Patrem, omnia præmia plusquàm debita iudicabit illi. Amisit Pater mundum per peccatum hominis; sed tam officiosus fuit Filius, vt recuperaret illum & restitueret Parenti suo: anne parum est hoc obsequium?

I

Om-

Omnes homines, & innumeri Angeli, rebelles & inobedientes erant aduersus Patrem; ipse Filius voluit resarcire omnem contumaciam, & docere obedientiam, etiam cum dispendio vitæ suæ: omnes mortales contemnebant Patrem; Filius voluit honorare pro omnibus: tot denique seruos restituit Patri, tot adoratores lucratus, tot amatores, tot laudatores; cælum vacuum repleuit habitatoribus: anne sunt exigua hæc officia? Sed quali affectu, quali sedulitate, quali amore, quali dignitate? Infinita hæc fuit, & talis, vt non restet Patri potentia nec scientia quò possit præmiis superare obsequia Filij.

Si igitur Deus tam beneficus est, vt peccatoribus vltro beneficiat; si tam iustus, vt iustis vltra merita satisficiat; & extra se fiat, vt liberalis omnibus sit, nullo expectato titulo iusto beneficiendi; anne cum solo Filio iniustus erit, & non attendet titulum cuius nomine conuenitur, & hæctenus victa est liberalitas diuina? Quid faciet, cum videat se non posse superare merita Filij; sed omnia præmia, quæ Filio dedit, & hominibus respectu Filij, minora esse infinitè, quàm officia Filij ipsius? An Deus, qui cum peccatoribus fuit liberalis, cum Filio erit iniustus? an negabit dare quod ille petit, aut per illum petimus; si quidem non potest illum nimis præmiari,
nec

nec hæcenus satis remuneravit? Si Deus magnificus est vltra expectationem, cum scilicet iudicant homines non debere gratiam fieri, sed potius supplicium; anne miser & avarus erit, cum homines iudicabunt deberi, non tantum gratiam dari, sed velut debitum reddi? Si aliis benefecit Deus propter seruos misellos, quia non iniquè seruiuerunt; quid faciet propter Filium vnigenitum, in cuius obsequio solo benè ac plenè super omnes sibi complacuit? Si tanti æstimat Deus homines, vt iactet, Propter seruum meum Iacob, & Israël electum meum, & propter Dauid seruum meum, cum indulgentiâ vsurus erat; anne depreiabit dilectum Filium obsequentissimum, & durus erit, & immisericors illi, in quo gratificauit nos? O homines, securi, & securissimi petamus per Christum: accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ eius; quia quibusuis donis quæ petimus, semper debitor manebit Deus: & quoniam semper manere debitorem non excusat, numquam manere ingratus aut iniquus vult: sed dabit semper quæ petimus; siquidem numquam dabit, nec dedit omnia, quæ meretur Filius. Ecce, ecce, iam video Sole ipso clariùs, impossibile esse, vt quidquid per Christum petatur, negetur à Deo; si petitio, vt par est, fiat: nam sæpè videmur petere, sed fortasse tam

repidè & stultè, vt perinde fit ac illudere. At qui verè petit in nomine Christi, non tantum precatur Deum, sed iam quasi adiurat & exigit.

Christus est obiectum & voluptas omnium sensuum diuinorum: nihil honestum videt Deus, nisi per Christum: nihil consonum audit, nisi per Christum: nihil fragrans & suaue illi, nisi bonus odor Christi: nihil inungit misericordiâ suâ & sanat, nisi medio oleo nominis Christi: nihil denique placitum gustat Pater, nisi in Christi passione & felle condiatur & dulcescat. Quidquid sentit, per Christum omnia sentit grata, ita respiciendo nos per Christum: quia Christo similes sumus, grati sumus: vt qui videt per vitrum viride, reliqua videt viridia & iucundiora visui, licet antea molesta essent: ille color omnium gratior oculis, temperat molestiam. O quomodo horrorem & foetorem nostrum non toleraret Deus, nisi per Christum! O quoties non ferret nos Deus, etiam post gratiam semel susceptam, quam amittere merebatur ob ingratitude & torporem, & plures culpas veniales, nisi recordaretur Christi, qui sustentat nos, & supplet defectus nostros! Ille vnus est Patri solatium omnium nostrum impudentiæ & ingratitude. Iam periisset mundus millies, nisi per Christum

Christum sustineretur, qui sacrificio quotidiano infinitè placenti Patri sustentat orbem, & homines impudentissimos. Obiicit se Christus Patri: qui dum nostra per Filium respicit, horror nostri minùs prouocat; vt qui in speculo canem mortuùm aspicit, fœtorem inde non percipit: nociua per vitrum conspecta, non lædunt oculos. Pari modo se habet Deus, vt Imperator ille, qui in ingenti smaragdo in speculi modum referente visa, conspiciebat tetra & inhumana, pugnas gladiatorum, flagitia & cædes, quò horrorem minùs causarent ex placiditate petræ. Sic Deum minùs exacerbant flagitia nostra, si Christus repræsentet ea. Christus lapis est & pretiosissimus smaragdus: nihil gratius est visui, quàm ille lapis, qui lætitiã causare conspectus dicitur, & colorem suum gratissimum non in se solùm retinet, sed profundit, & tingit circumfluum aërem, vacuum alioqui colore: ita Christus lætitiã causat Deo, & in nos vacuos meritis refundit sua; vt imbutis gratiã eius & viriditate spei, in illo confidamus, gratos Deo fore. Omnia bona & gratiæ nostræ sunt exundantia, & velut superflua, & fimbriæ meritorum Christi.

CAPVT IV.

Quantum oporteat deuotè affici erga beatissimam Mariam virginem.

QVanta est miseria & malitia nostra, vt cum immensa fuerit misericordia & bonitas Dei, opus etiam fuerit iuuari industriis & artificiis diuinis! Mirum artificium fuit ad satisfaciendum diuinæ iustitiæ, ipsa Veritas incarnata Christus. At quia & hoc instrumentum misericordiæ etiam oportebat vt Iudex foret; prouidit amor Dei erga ipsum Christum, aliud organum puræ misericordiæ sacratissimam Matrem suam, pro quo debemus gratias agere inter alia beneficia immensa diuinæ bonitatis. Quid fuisset, si non fuisset misericordissima MARIA? cuius precibus, quamuis malignitas & inuerecundia nostra, quâ semper erga Deum impudentes sumus, digna sit perpetuo flagello, suspenditur tamen manus Dei irata, & flagrum commutatur in donum: Christi reuerentia erga suam matrem, plus potest quam nostra irreuerentia erga ipsum. Si Christus pro inimicis suis, & iis ipsis qui crucifigendo auferebant illi vitam, obtulit vitam suam; quid non faciet pro matre suâ amantissimâ, à quâ accepit vitam? Si Deus pro creaturis, quibus

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 135
quibus dedit esse, tot tantaque vltro & sine
precibus vllis fecit; quid faciet pro illâ à quâ
accepit substantiam, & esse hominem; ma-
ximè deprecante & urgente intercessionibus
suis, & veluti imperante ex iure materno?
Bonis filiis preces matris pro imperio sunt:
quis melior filius, quàm Christus? quæ me-
lior mater, quàm Maria? quæ obligatio ma-
ior, quàm huius optimi filij erga optimam
suam matrem? Non est obligatio Christi, vt
sunt obligationes aliorum filiorum erga pa-
rentes; sed est similis obligationi creatura-
rum erga Deum. Non tantùm est obligatio
naturalis, quæ inter genitum & genitorem
intercedit, (quamuis & hæc etiam maior in
Christo sit, cùm non sit diuisa inter duos,
sicut reliqui filij patri & matri debent suum
esse; nam à solâ matre accepit naturam hu-
manam, cùm nullum patrem iuxta hanc na-
turam habuerit, ideoque integrè vni matri
debet esse hominem) sed etiam est obligatio
moralis.

Filij debent reuerentiam patribus, etiam-
si noluerint generare filium illum, sed
quemlibet alium: imò etiam si inuiti gene-
rint, & neminem voluerint procreare; ni-
hilominus tanta est hæc obligatio naturæ, vt
ipsi Barbari & Ethnici dicerent, reuerendos
esse patres vt Deos secundos, & quæ iis de-

136 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
bentur, esse impossibile solui. O IESV, cuius
doctrina excessit omnem captum philoso-
phiæ, cuius exemplum præcessit humanam
omnem opinionem; si Ethnici hæc docue-
runt de honorandis parentibus, quid facies
honorando matrem tuam Fili Dei? Illa fuit
Gentilium obseruantia; qualis erit perfectio
tua, ô IESV? Qui superædificasti virtutibus
antiquis, & addidisti præceptis pristinis; qui
in amoris lege adiecisti inimicorum amo-
rem, & in castitatis præcepto etiam concu-
piscenciam vetitam dixisti: sic in præcepto
venerationis patrum excelluisti reuerendo
matrem; in quâ præter debitum naturæ, de-
bes aliud debitum voluntatis. Alij parentes
non habent electionem generandi filium, sed
habuit mater tua sanctissima: quæ non tan-
tùm te genuit, sed voluit te tantùm genera-
re, & non alium filium. Voluntas eius expe-
ctata fuit & desiderata à Deo Patre, & Ange-
lis: ideò quia debes voluntatem matri tuæ,
rependis illam, nihil eius voluntati negando.
Maiorem obligationem agnoscis erga ma-
trem, quàm est aliorum filiorum erga paren-
tes; & similem illi obligationi, quam habent
creaturæ erga Deum, habes erga matrem
tuam. Hoc est summum debitum creationis,
quòd non solum Deus creauerit nos, sed se-
legerit nos, & voluerit creare potiùs quàm a-
lios,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 137
lios, quos reliquit in rerum possibilium mas-
sâ, & suo nihilo.

O stupenda excellentia *MARIÆ*, cum si-
milem obligationem habeat illi Deus, ac ha-
bent creaturæ Deo; quæ est infinita! Tum
sicut ab esse ad non esse est distantia infinita;
ita obligatio eius qui accipit esse & naturam,
infinite superat alias obligationes ex beneficiis
aliis communibus, quæ supponunt substan-
tiam & vitam. Si in illos qui infinite tibi de-
bent, ô amande Deus, liberalissimus es, &
erga eos qui te offendunt indulgentissimus;
quomodo avarus aut crudelis eris erga ma-
trem tuam, cui soli propter diuitias miseri-
cordiæ & bonitatis tuæ debes, & tali modo
debes? quomodo negabis gratiam aliquam,
vbi agnoscis debitum tantum? Omnia me-
ritò vis dare per illam, quæ tibi dedit vitam
humanam: nam sicut de dono vitæ nullis
bonis filij possunt satisfacere patribus, quia
est fundamentum omnium donorum; &
omnes actiones & dona filiorum videntur
propria parentum, quia principium illis de-
derunt; sic nihil negare vis illi, quæ tibi dedit
esse hominem: vt dando cuncta per matrem,
videaris dare omnia matri; & prætereà cog-
eres nos venerari illam necessariò, cum per il-
lam sit necesse impetrare cuncta à te: & quia
accepisti ab illâ esse naturale, hoc est, huma-
nam

nam naturam ; vis vt per illam accipiamus nos esse supernaturale , & gratiam : vt ita filios *MARIÆ* faciendo nos supernaturaliter , satisfacias pro filiatione tuâ humanâ naturali.

Verum est quòd omnia sint à Deo , & hoc ipsum quòd debeat Deus matri suæ , est beneficium Dei : sed vt reuerà pensemus , quanta faciet pro beatissimâ Virgine , nihil interest : nam hic est ritus & mos diuinus , ita se habere erga beneficia sua , perinde ac si nullam partem habuisset Deus in meritis nostris , licet orta sint ex eius gratiâ ; sed eodem modo remunerat , ac si à nobis solùm essent. Æquè integrum gloriæ præmium dabit operibus bonis , ac si ea ipsa bona opera non fuissent munera sua ; nec vllâ gratiâ nos adiuuisset , sed ex propriis viribus illi seruissemus , & dignitatem illam ad gloriam ex nobis habuissemus. Eodem modo respondebit officiis matris suæ , ac si nullum beneficium Dei esset in illâ ; sed perinde ac si omnino accepisset ipse essentiam , naturam , vitam ab eâ , independenter ab vllò beneficio & gratiâ diuinâ , quâ præuenta , præiuta , & præelecta fuit ad hoc admirandum opus diuinæ conceptionis.

Si hoc modo obligatum se agnoscit & habet Christus , fortasse violabit præceptum de honorandis parentibus , an potius coagmen-
tatâ

tatâ mensurâ curabit satisfacere? Si obligatio quam habent in parentes alij filij, tanta est, vt Philosophi dicerent impossibile esse solui; cùm Christus maiorem obligationem agnoscat, possibilène erit, vt non velit gratificari? Si Deus alia obsequia hominum minuta remunerat in gloriâ vltra merita; hoc debitum matris, quod est vltra gratiam & remunerationem, non negliget omnibus modis compensare & satisfacere. Quis dubitat, Christi gratitudinem erga matrem, excedere omnem amorem & gratitudinem hominum? Si igitur putarunt Ethnici, non posse filios cunctis officiis esse satis gratos erga genitores; amittétne Christus occasionem gratiæ? Planè tam gratus erga parentem optimam est, vt non contentus reuerentiâ, quâ illam coluit in vitâ obsequiis suis operationum infinitarum & theandricarum, quibus illam honorauit subditus illi, voluerit omnes nos reuereri genitricem suam, quasi coadiuando ipsum ad venerandum & honorandum illam. Sic voluit nos omnes eius filios esse, vt pro se honoraremus & amaremus vt matrem: nam sicut obligatio fuit matri, satisfactionem & gratificationem voluit esse filiorum. Quam filiationem dedicauit in cruce pendens, cùm omnes suos illi tradidit in personâ dilecti discipuli, dicens: Ecce filius tuus.

TUUS.

tuus. Scilicet cum moriturus erat, quasi solum optaret vitam, ut matri obsequeretur; voluit vicarium obedientiae & curae filialis in Ioanne, & obseruantiae in reliquis fidelibus relinquere, siquidem mortem euitare non expediebat: ut hoc pacto & redimeret nos moriendo, & gratus esset matri relinquendo vicarios exhibendae venerationis, quasi ipse non se fateretur satisfecisse matri pro desiderio suo. Ibi ad pedem crucis accepit nos MARIA in filios: ibi peperit nos, non ex utero, sed ex corde; nam est pretiosius membrum, & efficacior filiatio: non enim omnis filius veri amatur, at filius cordis nequit non amari. Ibi nos cum Christo parturit cum doloribus, quos non est passa in partu carnali. Conuenienter eo tempore accepit nos in filios, cum tota compassionis affectu erga Filium plena erat, ut illum in nos transferret & seruaret ad excellentiam misericordiae suae: quasi commendasset IESVS matri, quod dixit mulieribus; Nolite flere super me, sed super filios vestros. Ideo crucifixus, plenus doloribus & cruciatibus, velut in alios remittens compassionem sui, dixit matri lacrymanti; Mulier, ecce Filius tuus: ecce filius tuus est quisque fidelis & discipulus meus; noli tam compati & flere super me, quam super istos filios tuos, quos tibi commendo, miseros homines & peccatores.

peccatores. Sciebat Christus maius obiectum misericordiae esse miseriam peccati, quam quodcumque corporale tormentum: nam plus doluit anima Christi compatiens in culpis nostris, quam corpus eius patiens in poenis suis. Ideo voluit vt transferret mater compassionem, & misericordiam ad nostros defectus, culpas, & miserias animae, vt nos in illis praecipue adiuuaret. Et quia Christus patiēdo benemeritus fuit de Iustitiā diuinā, superabundanter illi satisfaciendo, propterea dignus vt ei committeretur hoc attributum & esset Iudex hominum, vt praedixit Dauid; *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis*: Mater Christi, compatiendo & miserescendo Christi, benemeruit quoque compassionis & misericordiae attributum, quod illi est commissum; vt dicere possimus: Deus misericordiam tuam Reginae dedisti, & pietatem tuam matri Regis: ideo nulla gratia & misericordia Dei ad nos peruenit, nisi per MARIAM. Iam hinc, pietissima mater, te accipio in mea; & istud primum pignus accipiam tuae pietatis, vt imiteris filium tuum primogenitum: qui non tantum te dedit Ioanni, sed Ioannem etiam dedit tibi: ita me des Deo, siquidem Deum dedisti nobis.

Igitur cum nostra miseria nullum habeat remedium

142 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
remedium nisi Dei misericordiam, & dispensatio eius sit penes MARIAM, cui filius nihil negat, & illa plena sit miseratione; quid pigrescimus in officiis & pietate erga illam? Quatuor de causis debemus officiosi esse in obsequio erga Virginem. Vna est utilitas & necessitas intercessionis eius: nam sine negotiatione & petitione Virginis nihil descendit de cælo. Plus quàm ab Eliâ dependebat pluuia cæli, ex MARIA pendet gratia. Altera est voluntas Christi, qui vult Matrem suam colligere à nobis, ipsique adulamur Christo Domino cultu suæ Genitricis. nam ad omne quod illi debemus delegat Matrem suam creditricem. Si ea quæ facimus pauperibus, accepta ipse habet, eosque Vicarios designauit obligationis quam habemus; quanto magis grata habebit, quæ præstantur Matri, cuius se debitorem agnoscit ille cui omnia debent.

Tertia causa est, excellentia sanctissimæ Virginis: cuius cultus licet nullius nobis necessitatis esset, nec tam explicatæ voluntatis Filij sui IESU, propter præstantiam suam summoperè deberemus affici erga illam. Ipsa est honos totius creaturæ, maximè generis nostri: & secunda post Deum, cui concessum est vt habeat illud priuilegiû, quo Deus solùm propter infinitatem suæ naturæ fruitur, vt sit parens & virgo simul, & parens Dei.

Dei. Deus est pater & virgo simul : Maria est etiam mater & virgo. Quemadmodum Christus secundum diuinitatem genitus est castissimè in splendoribus Sanctorum à virgine Patre sine matre ; ita secundum humanitatem genitus est castissimè à virgine matre sine patre in splendoribus sanctitatum super omnes Sanctos. O geminum miraculum, quòd virgo pariat, & quòd pariat Deum ! Sed quid debebat parere virgo nisi Deum ? Gratia & natura sorores sunt, & ambæ sapiunt manum eiusdem artificis : ideò similem quamdam methodum suorum operum seruant. Quemadmodum in compendium collegit Deus in Adamo & Euâ vniuersam naturam, postquam cuncta creasset, atque in homine sunt omnes naturarum & vitarum gradus eminentiori modo quàm in ipsis naturis, cælis, plantis & animalibus, vt vnus homo plus valeat quàm vniuersus orbis, & sit alter mundus, ei que omnia seruiant, & propter illum sint omnia : ita quoniam non est negligentior & minùs curiosus artifex Deus in rebus gratiæ, in vnum quoque redegit in nouo Adam & Euâ vniuersam gratiam datam & dandam hominibus & Angelis. Vnâque in MARIA sunt omnia genera charismatû & donorum supernaturalium & gratiarum gradus eminentiori modo, quàm
in

144 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
in cunctis reliquis Hierarchiis spirituum beatorum, & ordinibus Sanctorum, ut ea sola plusquam æquiualeat vniuersorum sanctitati. Non est solum pietas istud existimare, sed ratio; & satis iam constat ex reuelatione benedicti patris Martini Gutierrez martyris Christi, quem vidit sancta Teresia in cælo cum insigni martyrij, quod in carcere obiisset ab hæreticis vinctus & vexatus. Huic seruo suo gratias egit ipsa virgo MARIA, quod huiusmodi defenderit suam sanctitatem. MARIAE enim seruiunt, & colunt tamquam Reginam omnium ipsa beata Seraphim, & ceteri Angeli ac Beati; veluti bruta animalia parebant Adamo in statu naturæ non corruptæ. Homo eminentior brutis creatus fuit; Maria sublimior Seraphinis & Angelicis mentibus glorificata, excellens beatos spiritus, ut Adam pecora campi & irrationalia. Illa sola duplo maior videtur esse apud Deum & æstimabilior quam totus mundus: in quem etsi indulgentissimus fuerit descendendo de cælo Filius Dei pro eius salute; nihilominus ut acciperet Spiritum sanctum, opus fuit recipi prius Christum in cælum: at beata Maria & Filium Dei in se suscepit, & simul Spiritum sanctum in se superuenientem.

Itaque duobus titulis audiuntur preces
Mariæ

Mariæ à Christo, & ob reuerentiam debitam matri, & ob eminentiam sanctitatis eius & merita singularia: exauditur enim pro suâ & filij sui reuerentiâ & dignitate; pro reuerentiâ maternitatis, & pro dignitate sanctitatis: & nos per illam audimur: cuius intercessio non solum utilis, sed necessaria est nobis. Ad MARIAM igitur in cunctis afflictionibus confugas, velut filius plagis ab extraneo cæsus ad matrem accurrit: nouit illa portare & sustinere mundum suis precibus, nec graue onus tu illi putes adiici.

Quarta causa potest esse velut affinitas & necessitudo quædam cum beatâ Mariâ, non tantum secundum spiritum & mystica solum, sed realis secundum corpus etiam & naturam. Nullus enim homo propinquior est affinitate alteri, quàm est tibi coniuncta beata Virgo. Qui corpus Christi suscipit in Eucharistiâ, vnione quadam reali fit vna caro cum Christo; vt non sit vnio alia & coniunctio tam propinqua & similis inter homines, etiam inter virum & vxorem: quare etiam debes te putare affinem matri ipsius Christi, & reputare habere eandem carnem. Maior item est coniunctio physica, & realis inter Deum & te, quàm inter te & patrem tuum: qualis ergo erit affinitas, quam contrahis cum matre ipsius Dei? Quæ maior

K vnio

vnio creata & realis potest esse, quàm est inter Verbum diuinum & sacratissimam humanitatem Christi, acceptam ex visceribus sanctissimæ Virginis? & quæ vnio consanguinitatis potest esse maior, quàm fuit inter Christum & Mariam? Igitur affinitas & coniunctio secundum naturam nostram, quam habemus cum beatissimâ Virgine, excedit affinitates hominum. Si homines solo titulo consanguinitatis & propinquitatis se iuuant, & ad se inuicem accurrunt pro auxilio; cur non accedemus ad MARIAM, cum quâ habemus necessitudinem maximam?

Quid dicam de coniunctione & quasi cognatione spirituali, quam cum Mariâ contraximus? Is per quem accepisti gratiam Baptismi, aut astitit tibi & suscepit in illo Sacramento, cognatus tuus fit, illumque teneris venerari vt patrem: quantam reuerentiam, proximitatem, & filiationem contrahemus cum Virgine, per quam toties gratiam suscipimus, quæ toties suis precibus peperit nos Deo, & in lucem & in veritatem vitæ spiritualis edidit?

Agnosco te matrem meam, ô Mater Dei & Mater gratiæ & misericordiæ, obsecro ne obliuiscaris nominis tui, de quo tu ipsa gloriaris. Mater gratiæ & misericordiæ diceris: sed huc titulum quid tibi dedit nisi nostra miseria, quia

quia tuâ miseratione & gratiâ egemus? Quare quia ego miserrimus omnium sum, maius ius præsumo habere in tua materna viscera. Dignitas tua ex meâ indignitate accidit, sanctitas tua ex meis peccatis: ideo præsumo primum locum me habere in tuâ misericordiâ, quia primus & maximus omnium peccator sum, & plus miser. Mater Dei, te fecerunt peccata hominum; & peccata mea solum sufficerent, ut te facerent Matrem misericordiâ: ne proicias me à te & protectione tuâ, sub cuius pallio proteguntur omnes Religiosi nostræ Societatis; ut mirabili visione vidit deuotissimus tuus filius pater Martinus Gutierrez. Quem enim debet magis recipere misericordia, quàm magis misellum? Recordare, quòd hunc honorificum titulum, de quo, post titulum matris Dei & virginis, supra ceteros gloriaris, ego solus possim sustentare ob innumera mea peccata. Spero Mater in misericordiâ tuâ ego miserrimus: nam potius cælum & terra peribunt, quàm tua deficiet miseratio & gratia iis qui verè & seriò implorant fauorem tuum, & serui tui sunt. Admitte me inter illos, ut cum exultatione & lacrymis in te colendâ occuper: at quia tepiditas mea frigidum & siccum, ut qui sim totus terrestris, me teneat; inuideo feruorem tuis deuotis: vellemque, ut faciebat deuotissimus

148 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
Pater Ioannes Trexus, facella tua ore meo
verrere, & lacrymis rigare. Ad hoc facien-
dum aliquot milliaria pedibus ibat ille ferui-
dus Pater & filius deuotus Virginis.

CAPVT V.

*Quòd imitari Christum debemus, &
de sanctissimi cordis sui dolore
& passione.*

QVomodo potest homo cogitare de ali-
quo gustu, qui pro hominis gustu re-
cordatur afflicti IESV? Vna gutta sanguinis
sufficiebat redemptioni nostræ: quomodo
totus pro nobis fusus, & immensitas dolo-
rum, laborum, opprobriorum, non sufficit
exemplo? ane vanè & incassum tot tanta-
que passus est Filius Dei, cum minima ora-
tio eius plus quam abundaret ad satisfaciend-
um pro mille mundis, & obtinendum vni-
uersis gratiam? Sed adhuc non sufficit tan-
tus excessus cruciatuum, vt vnus ego imiter
illum. Christus enim passus est pro nobis, no-
bis relinquens exemplum. Non minoris ste-
terunt Deo minimæ nostræ voluntates,
quam nostra peccata grauiata facta. O si confi-
derarem opera tua hæc, Domine; quomodo
expauerem? Mirabilia opera tua, vtinam a-
nima mea cognosceret nimis! mirabilia pro-
digia

digia quæ posuisti super terram, mirabilia testimonia amoris tui, & ingratitude & duritiæ meæ! Utinam fieret cor meum tamquam cera liquefscens, & ponerem te ut signaculum super illud, ut nullum vitæ huius gustum admitterem, sed imitarem dolores & afflictiones tuas! Ponam ut signaculum super cor meum illud cor mœstum amantissimi IESU, quod perpetuò crucifixum fuit: sic in memoriâ habebo, & tabescet in me anima mea. Quid efficacius ad extinguendum omnem voluntatis gustum, quàm recordatio IESU gustantis fel, & totius passionis eius? Tam efficax est eius consideratio, ut ipsum Christum^{fec} erit tædere & pauere, & sudare guttas sanguinis. Quid efficacius, ne patiamur gustum, quàm compati dolenti IESU? Non sine causâ, hi qui fideliter Christo astiterunt in Caluariæ monte, & compassi sunt, non sunt postea passi martyrium in exitu suo, cum reliqui Apostoli, & alij discipuli, à tyrannis sint occisi. Nam beatissima Virgo mater IESU, sanctus Ioannes Euangelista, & Magdalena, non fuerunt per martyrium sublati: dolor maior omni morte & omni cruciatu, excruciauit illos solâ compassione, & suffecit pro morte martyrij. Compatiamur igitur IESU, & patiamur libenter.

IESUS est via, veritas, & vita. Quam viam

K 3 volu-

150 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
volumus habere ad verè beatam vitam, nisi
vitam IESV, quæ tota fuit mors continua, &
crucifixio perpetua? Sufficeret, vt nos æternè
haberet IESVS dolentes & compatientes, at-
que omnem gustum nostrum abominantes,
ob eam quam passus est in vltimâ nocte &
die vitæ suæ omnium membrorū cruciatio-
nem, in quo à plantâ pedis vsque ad verticem
capitis non fuit sanitas. Lingua, quam non
attigerant carnifices, ne sine tormento ma-
neret, videtur non minùs torta quàm alia
omnia membra: siquidem de nullo artuum
suorum dolore conquestus est patientissimus
IESVS, nisi de siti; vt monstraret etiam ea
membra, quæ videbantur immunia, excru-
ciata habuisse. Neque magnitudine doloris
insensibilia & stupida fiebant, sed omnia va-
lida, viuida, vegeta ad patiendum seruauit;
ideò expiraturus clamauit voce magnâ: in
quo etiam ostendit feruorem numquam de-
ficientem, quo negotium nostrum egit in
tam acerbis cruciatibus; & humilitatem, quâ
exceptit mortem inclinatione sui capitis; at-
que summam reuerentiam, quâ adimpleuit
arduum Patris præceptum.

Plus tamen debent nos commouere quæ
passus est per totam vitam in vno membro
sanctissimo suo corde: cuius dolor immensus
fuit à primo instanti suæ conceptionis, & du-
rauit

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 151
rauit quàm diu vixit. Cor est, quod primò
excruciatum fuit, & quod vltimò. Tantò ma-
gis doluit cor eius, quantò omnium reliquo-
rum membrorum intolerabiles dolores in
vno illo passus est, quod est omnibus mem-
bris delicatius. Non minor afflictio latuit in
corde IESV ab illo instanti, quàm habuit in
horto, cùm sudavit sanguinem per omnia
membra. Quemadmodum illic ex viuidâ
apprehensione dolorum & cruciatuum pas-
sionis suæ insolito & terribili modo afflictus
fuit: sic etiam æquè intensè apprehendit eos-
dem dolores in vtero amantissimæ matris.
Cognitio enim Christi non fuit imperfecta,
eo maximè tempore cùm negotium nostræ
redemptionis acceptavit; & proposita fuit il-
lius intellectui, sine vllâ dissimulatione, om-
nis difficultas toleranda & vincenda. Appre-
hendit ibi intensissimè suam passionem, la-
bores innumeros suæ vitæ, opprobria & con-
temptus: ita afflixit illum ab eo tempore hæc
cognitio suæ passionis, & plus fortasse quàm
in horto, si inæqualitas fuit: nam in Gethse-
mani erupit exterius sensus doloris, diffusus-
que fuit per omnes artus, vt communicatus in
toto corpore angor, minor remaneret in cor-
de: at in vtero gloriosissimæ virginis MARIÆ
retentus est totus dolor intrinsecus in vno
membro tenerrimo corculo infantis IESV. Cùm

quis lacrymatur, minùs sentit afflictionem, quàm cùm recluditur angor in corde siccis oculis: sic Christus, dum non sudauit & sanguinem fudit, plus fortasse doluit, quia nulla particula angoris euaporata fuit: oportuit tamen ad nostrum documentum monstrari semel exterius, quantum passus est semper interius. Continuatus deinde fuit iste mœror per omnem vitam. Perfectissimè & perspicacissimè, vt in se erant, cognoscebat semper omnia IESVS. Nisi diuinâ dispensatione adiutus fuisset illo ipso instanti quo cœpit viuere, mortuus fuisset præ doloris magnitudine: idè maximum & continuum miraculum fuit vita IESV. Nec solùm passio sua eum afflixit, sed multò plus compassio: habuit compassionem, considerans angustias suæ amantissimæ & innocentissimæ matris; habuit quoque compassionem nostri: plus doluit omnia tormenta Martyrum, pœnitentias Confessorum, morbos & ægrotudines Sanctorum, quàm ij ipsi qui passi illa sunt. Si mater pia plus dolet ægrotudinem filij, quàm ipse filius: quis potest negare, Christum dilexisse suos, plus quàm vlla mater vnicum filium. Verè labores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quantus igitur erit dolor, si est maior quàm omnium Martyrum, Pœnitentium, & ægrotantium simul?

Habuit

Habuit præterea super omnia compassionem nostri, & dolorem, ob omnia & singula peccata omnium & singulorum hominum, qui fuerunt, & futuri erant. Deficit mens, cum quis considerat quam immensus hic dolor fuit; sufficiens, nisi per miraculum impediretur, ad auferendam millies vitam. Si aliqui homines præ dolore peccatorum mortui fuerunt; quomodo non extingueret vitam IESU dolor solius vnius & minimi peccati venialis vnius hominis, cum omnem deformitatem culpæ perfectè considerasset, tum Maiestatem Dei Patris, contra quem est, atque vilitatem hominis à quo est commissa, & ipse tantoperè amaret Patrem offensum, & hominem offendentem? Sicut hanc charitatem nemo mensurare potest, sic nec dolorem. Si tantum dolorem habuit de vno peccato veniali; quantum de omnibus & singulis peccatis venialibus & mortalibus adeò horribilibus & immanibus? Importabile pondus peccatorum tulit ille, qui suaue iugum & onus leue nobis imposuit: nos autem oneramus IESUM immenso pondere iniquitatum; quod sanguineum sudorem ex corpore IESU expressit, sicut torcular ex racemo vinum. Si ab ipso die quo peccauit Adam, vsquequò descendat Christus iudicaturus homines, fuisset aliquis qui pateretur omnia supplicia

Martyrum, morbos & dolores cunctos omnium hominum, non æquivaleret totum hoc huic dolori Christi: qui etiam ex eo quòd fuit angor spiritualis, acerbior ex suo genere erat, quàm corporales cruciatus. Habitabat in Christo plenitudo diuinitatis, & clara visio Dei illū illustrabat: quæ tamen aliquibus effectibus non obstitit; sed dispositū miraculosè fuit, ne per illam affluentia gaudij totum corpus & inferiores animi portiones occuparet, vt daret locum dolori, sicut accidit in passione. At in corde IESV dolenti pro peccatis nostris, non tantum dedit locum summæ tristitiæ; sed auxit summoperè propter altissimam cognitionem Dei offensi: quòd enim maior fuit cognitio Dei, maiorem dolorem causabat; & Christus solus multò maiorem cognitionem intuitiuam Dei habuit, quàm omnia Cherubim & Seraphim, & reliqui omnes Spiritus, ac simul omnes homines beati. Amor quoque Christi erga Deum offensum æqualis fuit visioni diuinæ Maiestatis; quare dolor eius nec explicari nec cogitari potest: nam non amisit occasionem patiendi quantum potuit, & decebat: imò miracula fiebant stupenda in suâ sacratissimâ animâ, ne impedirentur dolores. Quomodo nos solliciti sumus vt gaudeamus, & excogitemus artes voluptatum; si totum hoc patiebatur

tiebatur IESVS in suo corde, cuius nemo debet recordari sine lacrymis, & debet Christianus recordari semper?

Quomodo, cor meum, audes gaudere? considera, quare IESVS tuus passus est? pro peccatis tuis, ut te saluet. Quia ego offendi, ille ita me amat, ita cumulat beneficiis. Quomodo hic amator meus, & benefactor inimicorum, carbones ignis non congerit super caput meum, & erubescere me facit? quomodo carbones ignis non congerit super cor meum, ut ardeam amore eius & desiderio imitandi illum? Ponam cor mœstum IESV ut signaculum super durum cor meum, ut aliquando me inueniat secundum cor suum amicum & cupidum patiendi. Compatere cor meum patienti IESV, & consolare illum patiendo. Quomodo vis consequi misericordiam per passionem Christi, si non habes misericordiam Christi patientis? Tantam gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris. Sanctus Didacus Quisay ne obliuisceretur, præter frequentem commemorationem & pium affectum, scriptam in libello secum continuo gestabat passionem Christi, in testimonium quòd incisam in corde haberet, eamque singulis diebus legebat. Tam grata fuit Deo hæc memoria crucis Saluatoris, ut concederet, postquam Societatem IESV ingressus fuit,
penitus

penitus conformari illi, & crucifigi pro nomine eius, suâque passione repræsentare mortem Filij sui: rependitque Christus istam memoriam sancto Didaco; nam super locum, ubi ille & alij plures Sancti pro Christo crucifixi fuerunt, singulis sextis Feriis lucēs mirabiles in cælo apparebant, conformitatem passionis Christi & ipsorum approbantes & commemorantes. Iucundum est Christo recordari passionis suæ: siquidem ut eius memoriam haberemus, instituit admirandum sui Corporis Sacramentum.

4. Reg. 3.

At si memor es Christi patientis; quomodo non es impatiens aduersum te, tibi que irasceris? Rex Mohab cum nullam iam spem haberet, oppressus obsidione Israël, arripiens filium primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israël, statimque recesserunt. Ecce holocaustum filij primogeniti & Unigeniti Dei super Crucem? cur non indignaris in te, & recedis ab omni voluptate & voluntate tuâ? Extraneis, imò animalibus compatimur: cur non Deo nostro, Patri nostro, Fratri nostro? Proh inuerecunda peruicacia nostra, qui loco compassionis rursus crucifigimus IESVM nouis peccatis! Recordare quòd Deus est,
Pater

Pater tuus est, non inimicus tuus; qui patitur pro te inimico, non pro pecoribus campi, aut pro suâ salute, loco tui, non pro se, acerbissimum omnium supplicium crucis, in omnibus membris vulneratus, non dolorem tantum aliquem capitis, aut stomachi; quia tibi & mundo benefaciebat, non quia vrbes incendit; publicus in die festo, & in monte, cum duobus latronibus, quasi dux eorum; non reclusus, & clanculum; omnium odio, opprobrio & plausu, ut illi soli, qui est misericordia ipsa, defecerit misericordia hominum. Libenter nihilominus & amanter patitur, non inuitus, non iratus, non querulus, quia pro te; à suo populo, non à Barbaris & Scythis; per triginta & tres annos, non per unam horam. Compatere ergo IESV, nec irrita hæc omnia facias: cessa peccare, incipe IESVM imitari: ut multum proficiat tibi passio sua, fiat imitatio tua.

CAPVT VI.

Quantum oporteat sequi Christum.

NON tentat nos Deus, cum in difficultatibus posuerit salutem nostram. Carum illi esset, siquidem tanta fecit & pertulit, ut eum imitemur. Dicta hominis in potestate constituti habentur pro lege, & adimpleri debent:

debet: facta Dei cur non sunt obseruanda?
 Qui ponit cor Christi dolorosissimū & hu-
 mile vt signaculum super cor suū, ponat et-
 iam super brachium suū, vt imitetur eum
 cui condolet. Dilectio non est mollis, sed for-
 tis; & amantem Dei, mors Christi excrucia-
 bit per compassionem, & æmulationem.
 Dura est imitatio IESV: aliqui perinde vt in-
 fernum odio habent; sed non possumus me-
 liora charismata æmulari. Ne timeas falli,
 cū crucem pro deliciis, opprobria pro ho-
 noribus, nuditatem pro opibus suadet; sum-
 ma veritas est. Sapientia æterna & intellectus
 diuinus ita consuluit, ita iudicauit expedire.
 Ne diffidas, summa Bonitas, summa Poten-
 tia est; his tamen rebus te redemit: iisdem
 opus est perficias saluationem tuam: iisdem
 instrumentis opus istud incipitur, & perfici-
 tur: per hæc Christus ascendit in cælum; &
 membra non decet aliā viā ire, nisi quā it &
 ducit caput. Non sunt venena: ipse Christus
 sanctificauit & libauit prius: imò vt parum
 transfiret ad nos, totum ferè calicem labo-
 rum & dolorum hausit; & tamen viuit in æ-
 ternum, & ad dexteram Dei sedet. Quomo-
 do non operiet confusio faciem tuam, dum
 videns Christum maledictum ab omnibus,
 tu velis laudari? videns genuflexum ad pedes
 Iudæ, tu extollaris super maiores? videns si-
 tientem,

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. II. 159
tientem, & carentem aquâ, tu cupias abundare & deliciarî?

Magna gloria est serui, sequi Dominum suum. Imitatio Christi non solum necessitas est, sed dignitas: iam in hoc maxima pars difficultatis tollitur, & aliarum sufficiens pretium datur. Si gloria est imitari Christum, iam non erit arduum ferre contemptus & opprobria hominum. Siquidem istud honos erit summus: non est contemptus, ubi contemni est dignitas. Pro gloriâ quoque verâ carere voluptatibus & superfluis diuitiis, non est difficile: nam mundani & Ethnici plus fecerunt, & abstinuerunt necessariis pro gloriâ falsâ. Pudeat nos, quod fuerint quidam Barbari tam fidi & amantes Regis sui, ut si Regi deessent oculi, ipsi se excæarent; si deesset manus, ipsi pariter sibi abscinderent dexteram; & hac fide in reliquis imitatores Regis sui essent: cur in minoribus non imitatur Regem gloriæ qui vocatur fideles? Si Christus solum dixisset quid faciendum esset, licet ipse non fecisset, deberemus exequi: quantò magis, cum ipse primus fecerit, & fecerit ut nos faciamus; & non tantum dixit, sed laudauit & beatas prædicauit afflictiones? Si Propheta aliquis simpliciter dixisset, non haberemus excusationem: quantò minùs, cum ipsa Sapientia Prophetarum & os Dei
exagge-

exaggerauerit, & in se perfecerit? Non dixit IESVS verbum otiosum; quantò minùs tot laudes & beatificationes pauperum & afflictorum? quantò minùs tot opera otiosa fecit? Si non oporteret nos pati, exemplaris vita IESV otiosa fuisset, & superuacaneus eius rigor nobis, qui charitate illius, qui superabundanti pretio redemit nos, non moueremur, & tanto exemplo non doceremur ad amandum eius imitationem, & odio habendum peccatum & gustus sensuum. Anne vanè voluisset Deus affligi suum Vnigenitum, si nihil referret facere quæ ipse fecit, vt quos præsciuit & prædestinavit, fierent conformes imaginis Filij sui, vt sit ille primogenitus in multis fratribus? Non est Deus impius, vt sine causâ gauderet tam atrociter sæuire in Vnigenitum dilectum. Animalia fera & crudelia, sunt erga fetus pietissima: quomodo Deus clementissimus & misericordissimus in Filium fuisset crudelis & tyrannus, si necesse nobis non esset pati? Peccata nostra non requirebant tantos cruciatus, vt redimeremur; superabundabat vna gutta, non dicam cruoris, sed sudoris IESV: requisivit ergo illam tormentorum atrocitatem, vitæq; austeritatem, necessitas nostra imitandi Christum, & patiendi, quæ est regia cæli via. Aut Deus atrox & impius est; aut summè necessarium est nobis,

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. II. 161
bis, humiles, afflictos, inopes esse, habere
æstimationem diuinæ charitatis & contem-
ptum nostrum.

Nemo iter cæli nouit, qui non ambulauit:
nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit
de cælo CHRISTVS IESVS; & qui per viam,
quam ille monstrauit, incedit. Incognita via
erat, nec potuit alius indicare melius quàm
IESVS qui nouerat illam & ambulauerat. Non
fecit IESVS, vt aliqui rustici solent; qui digito
aut narratione ostendunt viatoribus iter, ipsi
tamen sedent & manent domi quieti, nec sol-
liciti sunt deinceps, an errent rursus viatores:
nam præterquam verbo docuisset semitam
cæli, ipse præit & præducit nos ne erremus.
Dic mihi, si certi fuissetis, vt modò sumus,
de gaudiis cælestibus, pedibusque foret opus
peruenire ad illa, nec aliud requireretur ad
consequendû, nisi scire viam omnino ignora-
tam, & aliquis illâ annuntiaret nobis; quis ef-
set qui non se accingeret ad iter, quantumuis
salebrosû & difficile esset, præcipuè si ille qui
demonstraret semitam, vellet comitari nos
& præcedere? Cur igitur Christo non credi-
mus, & sequimur? ane putamus erraturos
nos sapientiâ Dei duce? ane putamus peri-
turos præeunte Salvatore? Minimè. Secu-
ram nobis viam monstrauit Christus, & præ-
cessit ipse: tam certa est, vt etiam si moria-
mur

L

mur

mur in illâ, ipsum periculum & interitus sit certior semita: quin si amares Christum, non dubitares mori cum illo. Non amat Christum, qui non imitatur: nam virtus amoris est assimilatio. O quis verè diceret, Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus; mortificationem IESV in corpore meo circumferens, & in corde inferens!

Si igitur amas Filium Mariæ, & vis tabernaculum Dei fieri vt illa fuit; inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte Caluariæ monstratum est, totamque vitam IESV respice: ipse elegit contemptus viuere, & mori: derisus fuit, reputatus cum iniquis, non solùm vt idiota, sed vt fatuus habitus: vt seruus vilis verberatus, vt scelestissimus omni crudelitate punitus: ipse honorem temporalem, si deferebatur vltro, fugiebat: nullum non conuitium sustinuit: Samaritanus, idololatra vocatus fuit, dæmoniacus, pseudo-propheta, seductor, gulosus, vorator, & potator vini, blasphemator, transgressor legis: creditus conspirator & proditor patriæ, peccatorum amicus. Quæ creatura potest dici, cui non se humiliauerit? Humiliauit se Angelis: quid opus erat vt veniret Angelus ad confortandum illum qui Deus erat, cum verbo suo posset destruere Vniuersum? quid opus fuit dicere, Angelorum legiones posse illum

illum vindicare, & resistere comprehensoribus suis, quasi ipse non posset? ieiunus & famelicus quid opus erat ut acciperet cibum & velut eleemosynam ab Angelis, cum ipse posset lapides in panes conuertere? Humiliauit se hominibus, Matri & Iosepho obediens. Humiliauit se impiissimis Principibus, Herodi, Cæsari, Caiphæ, Pilato, iniusta mandata adimplendo, oneribus & iudiciis eorum parendo. Humiliauit se hominibus vilibus & seruis, ut Malcho, carnificibus, & aliis. Humiliauit se creaturis omnibus, patiens in se sæuire frigus, æstus, ferrum, crucem, spinas, arundines, sputa. Subiecit se denique dæmonibus: traditus est in horâ passionis potestati tenebrarum, & passus est duci se à diabolo super pinnaculum templi. Nulla est creatura, à sublimiori usque ad viliores, ab optimâ usque ad pessimam, cui non se subiecerit Creator pro me: & qui omnia fecerat, & Dominus vniuersorum fuit, nihil voluit habere ut me haberet: nullum prædium possedit, nullos redditus habuit: de eleemosynis tantum accipiebat minora necessitate: ut mendicus vestitus incedit, non ut Philosophus, aut Doctor, aut Nobilis: inops etiam à veris amicis fuit, ut nullius fauore vna alapa dimissa illi fuerit: suo Regno & Principatu se expoliauit, se ipso suam maiestatem occultas.

In quantum Deus quoque, similia documenta humilitatis dedit. Humillima est tremenda illa infinitudo & omnipotentia Dei: elegit enim Diuinitas, propter hominem, quæ magis laboriosa videntur, & minùs honorifica. In creatione noluit facere hominem, sicut fecit cetera, iubendo voce vnica tamquam Dominus, sed velut seruiendo & laborando manibus suis, ac si seruus & figurus esset. In Redemptione quoque noluit redimere nos, vt poterat, assumendo aliquam honoratam & sublimem naturam vt Seraphim; sed viliozem omnium naturam rationalium qui infamati & ignobiles erant ob scelus primi Parentis, in se ruinosam & caducam. In glorificatione, cum nos satiabit glorià Maieſtatis suæ, & vt summus Dominus remunerabit, ministrare vt seruus dicitur. Verè enim filius Dei est Christus, qui mores Dei imitatus est & docuit. Agnoscens suum humilitatis spiritum in Christo, meritò dicit Pater: Ecce seruus meus, suscipiam eum, dedi spiritum meum super eum. Nihilominùs nos qui Christiano nomine gloriamur, & filij Dei volumus esse, fugimus hæc quæ amauit Christus Filius Dei. Quo alio maiori odio prosequeremur paupertatem, humiliatorem, crucem, si Christus præciperet nobis sub interminatione inferni odisse illas, quàm modò

modò horremus , cùm promiserit pro illis gloriam ? Ita audimus mendacia verba mundi, ita obedimus suggestionibus diaboli , ac si pro nobis crucifixus satanas fuisset : ita auersamur vitam , & consilia Christi negligimus, ac si fatuus quidam & ridiculus amens in foro effutiisset.

Si Rex terrenus multò minora offerret militibus suis, eum omnes , etiam pro paruo stipendio , sequerentur per rupes & niues ; præsertim si parem habitum, victum , habitationem illis cōcederet, ac ipse Rex vteretur, iam etiam sine stipendio sequerentur Regem ob solum pudorem : & nos nec ob amorem, nec pudorem , nec timorem, nec lucrum , concitamur ad sequendum Regem Regum & Dominum Dominantium. O si tam fidelis Christo essem , vt Ionathæ fuit adolescens armiger suus ! fac omnia, dixit , quæ placent animo tuo ; perge quò cupis , & ero tecum vbi- cumque volueris. per scopulos , per mucrones , per hostium arma irruit, ne iret solus filius Regis. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans , & armiger eius post eum. Quomodo Christum relinquimus torcular calcare solum , & nemo est qui cum eo societur in passionibus & laboribus ? non est tam formidabile quod pro Christo pati communiter continget , ac fuit quod armiger ille

aggressus est pro Ionathâ. Quis miles relinqueret Regem suum in medio hostium exercitu, & sanus & lætus auderet redire domum, & non potius mallet cum illo cadere? cur nos relinquimus Christum solum? Ipse iure queritur: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Etiam si nullius auxiliij futurus miles esset, nullaque ex societate illius utilitas sequeretur, non debet deserere Regem: quid erit, cum tanta utilitas tibi sit, & Regi Regum CHRISTO IESU consolatio passionis suæ, & finis eius intentus, qui est imitatio sua? Aut opus est deponere nomen Christiani, aut assumere quæ Christianum faciunt. Si sequi Christum nolis, dic quem secuturus es? necesse est, ut sequaris diabolum principem huius mundi. Talem ducem fugit, qui insistit vestigiis IESU; ut deberet id facere solum ut fugeret: talem ducem sequitur, ut deberet sequi, etiam si alium malum non fugeret; quanto potius cum hæc duo copulantur, sequi optimum, fugere pessimum; sequi Deum, fugere satanam?

Malitia nostra solum est, quod non faciamus quæ Christus docuit & fecit: nemo potest se excusare quod non possit: iis rebus posita est nostra saluatio & perfectio quas quiuis posset habere: pauper quisque potest esse: patientes omnibus licet esse: non ambire honores in manu

nu

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 167
nu est cuiusque. Hæc est sapientia & amor
Dei, ut ea elegerit, quæ omnibus paterent, &
sine labore possent obtinere. Neminem ex-
cludit à suo Regno; & nemini voluit deesse,
quæ ad consequendum illud opus essent. Si
in diuitiis, honoribus, voluptatibus consti-
tueret salutem nostram, plures quàm modò
damnarentur: nam pauperum, ignobilium
& afflictorum numerus est innumerus, &
tunc esset maior; nam quò plures vellent es-
se diuites & felices, pauciores forent. Quid
iam dicam tibi, si non vis amplecti paupertatem,
humilitatem & crucem IESU, nec vides
immensum bonum quod est in imitatione
eius, nisi quòd hoc est quod dicit ipse, Qui
sequitur me, non ambulat in tenebris? Tu il-
lud non vides, quia ambulas in tenebris, dum
non sequeris IESUM.

CAPVT VII.

*Quòd patienter ferendæ sint necessitates
& ærumnæ à Deo immissæ.*

SI non vis sequi Christum, saltem ne fugias
illum: si non audes imitari, cur audes re-
pugnare, & contemnere eius similitudinem?
intolerabilis inuerecundia est & miserabilis
cæcitas, cum superabundans charitas Dei
adeò beneficentissima aliquibus sit, ut illos

L 4

etiam

etiam reluctantes faciat conformes Filio suo, non expectans quòd ipsi in hoc laborent, ne fortè deficiant in pugna & difficultatibus ultrò se assimilandi vitæ Christi; sed ipse Deus propriâ manu id dignetur facere, concedendo paupertatem, occasiones humiliandi se, & labores; ipsi tamen renuant, & tam absint vt velint similes esse Vnigenito Dei, vt pudeat illos paupertatis, & omnium de quibus gloriatus est Dominus gloriæ, omnibusque viribus & artibus fugiant IESVM, quem sequi tenentur. Gratias deberent agere Deo, quòd sine labore suo & sine vllò periculo (non enim tunc vana præsumptio aut inanis gloria locum habet) similitudinem Vnigeniti sui dederit quæ tantoperè illi placet; & præsummâ indulgentiâ erga ipsos, cum alios vocet ad imitationem Christi, illos locet in illâ. Sed ingrati reluctantur, vt euadant similes superbo Lucifero; imò superbiores: numquam Lucifer se putauit meliorem Deo; illi verò tamquam si essent maiores, cum IESVM afflictum sine culpâ videant, ipsi ob infinitas culpas suas nolunt tangi: & se, qui peccatores sunt, volunt haberi velut meliores, & minùs dignos supplicio, quàm innocentissimum IESVM. Cur indignamur cum aliquid aduersum accidit? nam si culpa nostra præcessit, insolentia summa est, nolle se peccantem & nocentem

nocentem affligi, qui videt Christum innocentem punitum. Si nulla culpa præcessit, magis gaudeat, quia magis conformis est Christo, qui sine culpâ crucifixus fuit. Culpam, quam non commisisti in causâ, ne committas in labore ob impatientiam; quando gratias dupliciter acturus erat, & quia affligeris, & quia sine causâ innocenter. Quando tribulatur aliquis propter culpam, patientiam saltem debet habere: quando sine culpâ, lætitiâ quoque: maius est tunc augmentum gratiæ, maior similitudo IESU inculpati, & spes melioris profectus, cum non tam sit hæc afflictio ad emendandum præterita peccata, quàm ad augenda etiam merita futura, & præseruandas culpas: agnoscat in se summam indulgentiam Dei, quâ vsus est cum Matre suâ, præseruando illam. Christus passus est cruci pro te affigi à scelestissimis hominibus: cur tu à Deo tangi non feres patienter? melior & beneuola manus te molestat.

Filius cum verberatur à patre, si nimium clamet & ploret, plus solet verberari, & iam non percutitur ob culpam antiquam, quantum ob nouam clamoris impatientis: ita quando ægrè fers laborem à Deo immissum, & flagellum diuinum; accidit vt plus aggruetur, quia murmurat, quia quereris, quia sine patientiâ es. Sufficiens culpa est, vt te pu-

niat Deus, contemnere similitudinem filij sui, non agnoscere culpas tuas, impatientem esse. O Rex gloriæ, in quem desiderant Angeli respicere! faciem tuam non auertisti ab increpantibus & conspuentibus in te; genas tuas dedisti vellentibus, corpus tuum percutientibus, improperium expectasti & miseriam pro me: cur ego miser fugiam & auertam me à Deo & Patre meo correptore & benefactore meo? Gaude anima, conformando te ad exemplum Filij Dei in necessariâ paupertate, tribulatione, humiliatione, opprobriis. Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quia digni habitus erant pro nomine IESU contumeliam pati. S. Paulus Miqui, nostræ Societatis, ibat gaudens ad conspectum populorum; præcisâ aure, vt maior ignominia esset, missus per vrbes ad contumeliam popularem, & publicam infamiam: deridendus cunctis, ipse tamen prior ridebat, frontem festiuam ostentabat, patientem, erectam, iucundam, quasi triumpharet solùm ob similitudinem Filij Dei; eamque meruit in se vsque ad crucem perfici, quam alacris amplexus est. Tu si non vis solari Christum, eius crucem suscipiens; ne contristes Spiritum sanctum, illam reiiciens: quam non quæris vltro, inuentam & oblatam ne recuses frustra. Si Iesus, cùm in itinere ad

re ad

re ad montem Caluariae cecidit cruce onustus, vellet vt tu pro eo ferres illam, áne illud excusares? quid si manibus propriis imposuisset humeris tuis, áne resisteres & repelleres? an potiùs osculareris horridum illud lignum, & manus illas sacrosanctas adorares? imò non tantùm ferre crucem, sed crucifigi loco Christi exoptares & peteres. Ecce crucem huius doloris, huius humiliationis, huius necessitatis, imposuit tibi Deus: cur reuicis? leuior est quàm Crux Christi. Si compatiens non vis consolari IESVM, consolare te compatienti IESV.

O consolator animarum, quid mihi accidere potest, cuius non inueniam abundans remedium, in tuis necessitatibus? Si languo, in te à plantâ pedis ad verticem capitis non fuit corporis sanitas: vir dolorum, & sciens infirmitatem, verè languores nostros tulisti, & dolores portasti. Esurio? tu famelicus fuisti post quadraginta dies ieiunij, & tantoperè esuriisti, vt propter famem existimaret diabolus te posse inclinari ad peccandum. Sitio? & tu sitiisti in cruce, nec fuit qui daret potum: ego nec in cruce sum, & inueniam qui præbeat potum. Frigeo? tu algebas in præsepio. Quiete priuor? etiam te dormientem in nauis excitauerunt Discipuli. Iniuria mihi fit? tu ad mortem innocenter fuisti

fuiisti

fuiſti condemnatus. Patior contumeliam? tu publicè à Pilato productus ad populum fuiſti, dicente, Ecce homo. Defeſſus ſum? tu defatigatus ex itinere ſuper fontem ſedebas. Falsò inſimulor? tu in domo Caiphæ falſiſſimè accuſatus fuiſti. Reprehendor ob bona opera? tu quòd in ſabbato benefaceres. Detrahor? de te murmurabant quòd in principe dæmoniorum eiiceres dæmonia. Irrideor? tu ſubſannabaris à dicentibus, Alios ſaluos fecit, ſe ipſum non poteſt ſaluum facere. Aſperè mihi reſpondetur? & tibi aſperius; inſuper & colaphum impegit impius miniſter. Deſeror à familiaribus? tu à Diſcipulis fuiſti deſtitutus. Diſcedo à cognatis? tu à Matre ad patiendum proſectus. Contemnor in meis conſiliis? tua quoque doctrina ſpreta fuit, & eſt. Premor tentationibus? tu quoque tulifti eas in deſerto. Doleo ob lapſum fratris mei? tu doluiſti diſcipulum apoſtatam, & deſerentem veritatis ſemitam. Doleo ob defectus proprios? tu vidifti eos priùs, & doluiſti. Defectum deuotionis ſentio? tu clamaſti, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Quis igitur labor eſt, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis, cuius non habeamus refrigerium in Chriſto priùs laborante pro nobis? Hoc eſt quod dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam

reficiam vos. O dulcissima promissio, quæ solùm audita recreat! Si Christi labor aufert nostrum laborem, quantò magis eius gloria auferet? si ita necessitates Christi auxiliantur nobis, quid faciet potentia eius & diuitiæ? Sed auxilium istud, clementissime Domine, solùm exopto, vt patiar tecum; non vt me consoleris in hac vitâ, in quâ nec corporale nec spirituale gaudium cupere debet anima, nisi solùm pati tecum, & pro te.

CAPVT VIII.

Qualiter puritas corporis iuuat spiritum.

Qui cœnosam & insalubrem regionem incolit, non est mirum, si langueat sæpe; qui propitiam & puram, valebit: sic anima in puro corpore benè se habet; in immundo & cœnoso ægrotabit. Velut in prato florido & fragranti, est mens in carne mundâ. Corpora casta sunt deliciæ Dei; quid mirum, si sint animabus salubria? mentem liberam relinquunt vacare Deo, sine vllâ rerum temporalium curâ: lætificant conscientiam, spre-tâ sensibili voluptate, & amato Deo sine impedimentis. O amor meus, ô veritas sincerissima & purissima, si quidem non solùm debeo tibi ô Deus cordis humani dimidium mei, sed me totum; non tantùm mentem purificabo,

purificabo, sed corpus sanctificabo. Membra Christi sumus; ne deformitatem in pulcherrimo corpore efficiat vnus artus corruptus & fœdus. Quæ pulchritudo esset sponsæ formosissimæ, si putridum nasum haberet, aut ora & genas vermibus scatentes? Corpus Christi gloriosum, millies est sole purius & fulgentius. Membrum Christi immortalis es, ô homo mortalis: considera, quantum corporis sanctitatem curare debeas, & quoad possis, imitari immortalitatem & incorruptionem, ne dissones illius puritati. Vnus spiritus cum Christo & vna caro sis cum illo per sanctissimæ eius carnis communionem: ne macules tuam carnem, quæ iam per quamdam mirificam realem vnionem est Christi caro. Veste maculatâ & turpi si indueres imaginem alicuius Sancti, sacrilegum putares: cur saltem non erubescis, carnem quæ est Christi viuentis fœdare, & membrum maculatum & obscœnum ei adiungere? Regiam ipsam purpuram, si cœno & luto immersa maderet, nolles tu induere: cur carnem tuam luto & fœtore infectam gestare desideras, & vis esse partem Corporis Christi?

Quemadmodum in vitâ æternâ & animæ & corpora nostra in maximâ puritate Deum glorificabunt: sic in hac vitâ & animæ & corporis

poris puritate debemus illum colere. Non solum per sanctitatem animæ quæras beatitudinem eius; sed etiam per sanctitatem carnis tuæ merere beatitudinem & resurrectionem corporis, ne voluptate aliquâ pellectus, concedens te mortali tuæ parti, te ad mortem condemnes. Sed disce iam in carne esse vt spiritus Angelorum, vbi nec nubent nec nubentur. Disce iam incorruptibilitatem, & esse singularis naturæ & vitæ abstractæ à sensibus. Puritatem cælestium thronorum, in quibus Deus confidet, debet æmulari corpus tuum, cum sit templum Spiritus sancti, electum vt sit vas honoris. Christi bonus odor sumus: Christus vndique puritatem spirat, virginitate stipatur, castitate delectatur. Ferè in mundi calamitatibus, castitas fuit quasi solatium Dei, & compensatio illius damni: ruinam Angelorum prouidit præcipuè & excellenter restaurare ex Virginibus & castis, & per virgines & castos; matrem & præcursores virgines seligens, discipulos & Ecclesiæ principes & excellentiores Sanctos plerosque virgines etiam, vel continentes, aut iam sine coniuge, aut separatos ab illâ, & omnes castissimos: lapsum Adami subleuauit spe Virginis contrituræ caput serpentis: ex naufrago mundo quos seruauit, seruauerunt in arcâ castitatem: in cruce se consolatus Christus est

est

est matre & dilecto discipulo virgine. Quomodo non amaret castitatem & virginitatem, qui utrumque parentem virginem habuit, & totum suum esse à virginitate communicatum? Patrem virginem Christus habet secundum naturam diuinam, & matrem virginem secundum naturam humanam: adhuc figuram patris sui voluit esse virginem sanctum Ioseph, ut sustineret solum nomen & titulum parentis. Figuras etiam suæ innocentiae & obedientiae virgines Abel & Isaac elegit. Primitiae emptae ex sanguine Agni virgines fuerunt: sic Agnum sequuntur quocumque ierit, quidquid agunt, quidquid dicunt, imitando Christum, & modestiam eius; quæ tanta fuit, ut nullâ notaretur infamia pudoris: & cum multa falsa aduersus IESVM excogitarent & multis modis calumniarentur Iudæi, sine specie aut probabilitate aliqua; numquam illum accusarunt impudicitiae, licet scirent cum mulieribus collocutum fuisse, ob summam modestiam & pudorem vultus sui, quæ sola refellebat omnem suspicionem & calumniam minoris castitatis. Præcipue in visu seruandus est modus: nam, ut sanctus Orentius monet,

amor, ut lacrymæ quas fundi iniuria cogit,

Ex oculis surgit, pectoris ima petit.

Ex oculis facilis & decliuis via ad cor est. Venerabilis

tanti fit meritum in pace vitæ, quàm in patientiâ vitæ, in oppugnatione inclinationis sinistrae, in strenuitate obsequij, in violentiâ atque patientiâ tui, & cruce Christi. Ne ægrè feras, te locupletioribus & pluribus instrumentis promerendi ditatum à Deo esse præ Angelis: corpus tibi copulauit, vt quot sensus habet & diuisiones potentiarum animæ, tot organa meritorum haberes, tot scilicet cruces: istâ corporis supellectili supra Angelos locupletaris: plus voluit de te confidere Deus, vt inueheres in cælum grauissimum finum terræ. Angelis solùm cura fuit imposita, vnicum & sincerum spiritum suum seruare: at humanæ animæ, cùm debilioris naturæ sit, duplicata sunt onera imposita; & se, & carnem molestam, euehere ad æqualitatem Angelorum & gloriam cælestem. Angelos in procinctu, expeditos, sine vllâ sarcinâ; homines impeditos & oneratos mole corporis, & mille crucibus onustos, ad iter cæli idem & æqualem dignitatem vocari iniquum videbatur, cùm sit prætereà imperfectior & infirmior anima quàm Angelus: sed cum gratiâ Dei ex sociæ carnis molestiis fieri compensatio potest ad merita, vt æquet aut superet dignitatem angelicam. Si scias grauitate tuâ vti, magis te attollet: saltatores vt se magis alleuent, sumunt pondus aliquod prehensis

hensis in manibus petris : corpus tuum te iu-
uabit , si vim inferas. Non leue hoc nego-
tium , sed magnæ contentionis est : ne diffi-
cultati parcat lucrum ex conatu. Vt saxum a-
liquod in turrim euehatur , quantâ machinâ
& conatu indiget ? vt molem terræ tuam su-
pra astra attollas , non fiet sine violentiâ &
machinâ sanctæ crucis.

In hoc mortalitatis statu non minores
Sancti sunt , postquam redemit nos Filius
Dei, quàm in statu innocentia forent : quare
æqualiter fiunt sancti in breuissimâ vitâ , ac
fuisent per plura sæcula annorû , si immorta-
les homines permansissent. Compensat mul-
titudinem annorum multitudo ærumna-
rum, cum gratiâ IESV. Copiosior fuit Christi
redemptio, quàm præuaricationis damnum :
& tamen noluit Christus necessitates carnis
& que molestias auferre, nec affectuum rebellio-
nem penitus tollere, ne materiam merendi
compendiosam prædestinatis suis subtrahe-
ret; vt illos citius Redemptor præsentaret an-
te faciem Patris æquis aut maioribus meritis,
ac per multa alioqui sæcula acquirerentur.
Qui per crucem vicit mundum , vult vt per
cruce[m] te vincas. Vber gratia Christi gestit in
ineptâ reluctantiq[ue] naturâ : se iuuat ex ipsâ
repugnantiâ ad magnitudinem meritorum.
Maior triumphus est , vbi hostis fortior. Igi-

tur ne graue putes, tibi ipsi esse grauem: sed violentiâ & patientiâ tuâ fruere, occasione merendi, vincendo, sacrificando, crucifigendo te in omnibus. Christi gratia ne vacet tibi. Pugna & crux est necessaria, vt quadam necessitate bonus sis. Quidam duces postquam in terram hostium appulere, combusserunt aut fregerunt rates, vt absque spe fugæ certarent milites inuincibiles: sic Deus nobis alligauit hostem. Quid speramus posse fugere bellum? necessitas pugnæ ad victoriâ & merita nos necessitet. Per crucem nos redemit Christus: per crucem nos saluari oportet, moriendo vbiq; , vt vincamus & viuamus per patientiam nostram. Via saluationis recte dicitur via perditionis: perde & signa sensus cum cruce Christi, & salui erunt: esto cæcus, & erue oculos tuos, sic videbis benè: esto surdus, sic audies benè: esto mutus, sic benè loquëris: esto ieiunus, sic benè gustabis: esto sine manibus, & negotiis, sic benè operaberis: esto tibi odiosus, sic benè amabis: esto mortuus mundo, sic benè viues: esto timidus, sic securus eris: esto tibi vilis, sic honoraberis: esto laboriosus, sic eris in quiete: sustine omne malum, sic habebis omne bonum, quod est in cruce.

O Veritas, ô Iesu amantissime, si te amo, quomodo possum odisse crucem, quam tu amasti?

amasti? quomodo fugiam crucem, quam solum fugiunt dæmones qui te oderunt? opus diaboli est fugere crucem, opus Christi mori in cruce: quemnam imitetur Christianus, videat: victoriam sui atque abrenuntiationem amplectatur, nec pro voluptate futili, aut impatientiâ leuis incommodi, se reuellat à Christo, & priuet merito & satisfatione. Ne velis excusare quod inexcusabile est: etiam si salueris, pati opus est, siue in hac vitâ, siue in purgatorio, vbi sterilissima est patientia. Si necessarium est pati, vtrumne commodius erit, in hac vitâ, vbi leuissimis afflictionibus satisfacis pro grauissimis cruciatibus & peccatis, & præterea lucraris gloriam augendo merita? an in purgatorio, vbi summis cruciatibus parum satisfacis, & præterea nihil mereberis? Meritum nullum, satisfactio exigua, cruciatus ingens in purgatorio est: in hac verò vitâ leuissimus cruciatus, satisfactio ingens & meritum plurimum. Quis mercator eo tempore vellet emere res, cum deteriores sunt, & pretia maiora; & nollet tunc mercari, cum ferè gratis dantur?

Præcipue tamen ama pati ob amorè Christi. Quis amplexatus IESVM, relinqueret illum ob calicem aquæ, quem effudit Dauid? Dic mihi, ô amator siue desiderator IESV: si in alterâ crucis parte ad tergo Christi cum dilecto

dilecto tuo crucifixus esses in Caluariae monte pariter pro gloria Dei; & Christo promittentibus aliis, credituros se in eum & agnuros pro Filio Dei, si descenderet, nihilominus nollet te deserere, nec descendere; offerretur etiam tibi velut puerulo buccella aut pomum, ut oblatum Adamo fuit, dum modò descenderes de cruce, & relinqueres societatem IESU dilecti; an illam desereres? O pudor noster! quàm sæpè, ob leuissimam voluptatem aut voluntatem nostram, deserimus crucem, & relinquimus IESUM solitariè patientem sine solatio nostræ societatis?

Age anima à Christo in cruce redempta, sequere IESUM tollens crucem tuam, & abnegans te ipsam: disce, quid sit negare se, ex eo quod est negare alterum: qui alium negat, siue cognatum siue amicum, licet eum percuti videat, siue in paupertate esse, siue in carcere, non adest illi, nec opem fert, nec dolet in eius afflictionibus: sic oportet cum corpore nostro agere, & sic affici; ac si alter homo, aut inimicus noster, pateretur laborem illum. Non sufficit tollere crucem; sed abnega te moriendo in cruce, in quâ crucifigaris cum IESU tuo. In nullo voto cordis, aut motu corporis, arbitrium habeas proprium; quemadmodum qui in cruce confixus est, non habet iam potestatem mouendi pro voluntate
membra

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 183
membra sua, nec faciendi quod vellet. Qui
crucifixus esset, nec præsentes res iam confi-
deraret, nec prouideret in futurum, nec con-
cupisceret nouas diuitias, nec delicias quære-
ret; sed solùm intuitum dirigeret in aliam vi-
tam, & adhuc viuens se computaret inter
mortuos: sic qui crucifixus cum Christo
vult esse, iam inter defunctos se existimet;
non solùm mortuum voluptatibus & vitiis,
sed huic luci solis.

C A P V T X.

De sufficientiâ & bono paupertatis.

Qui habet Deum, quid ampliùs opus ha-
bet? aut quomodo non pudebit habe-
re aut cupere alia? In sumptuoso apparatu,
& aureâ suppellectili & abaco, luteum vas,
immundum, & informe nemo non potiùs
conclideret in mille frustra, quàm haberet,
ne absconaret & offenderet videntes illud inter
tot res pretiosissimas & gazas, & riderent ru-
sticitatem domini. O infinita Maiestas, &
pulchritudo pretiosissima! quomodo ad la-
tus tuum audeo aliquid terrenum congrega-
re, & tecum vnà possidere? omnia corda
hominum qui fuerunt, sunt, & erunt, & om-
nes voluntates Seraphinorum & reliquorum
Spirituum, non sufficiunt vt occupentur in

M 4 Deo:

Deo : cur ego pusillus homo vnicum cor meum occupabo in aliis rebus, & non expediam vt tradatur Deo meo? Si habeo aliud præter Deum; nec aliud plenè possideo, nec Deum: si nihil habeam nisi Deum; non tantum possideo Deum, sed fruor Deo, & omnibus. Quis tam amens est, qui, si pro centum aureis lucraretur mille, non daret pauciores? An fortasse minùs valet Deus, quàm mille aurei? cur non dant homines pro Deo, non dicam centum, sed res minimas, quæ adhaerentes cordi nostro extinguunt deuotionem, & aliquando vel abiiciunt Deum, si intus est, vel vt fortissimi muri resistunt, ne ingrediat? O pretium inæstimabile paupertatis! quæ vectes cordis frangis, vt in hominem intret Deus; & ianuas cæli referas, vt homo illuc ingrediat.

Si cuidam Ethnico sine fide, stupenti tamen pulchritudinem visibilem astrorum & magnitudinem cælorum, diceretur; Quid dabis, vt proximè videres stellas vno die, & contrectares manu materiam illam ex quâ constant? nonne daret quidquid haberet, saltem curiositate motus, vt breui spatio illuc eueheretur, aut saltem frustum alicuius sideris in terrâ ostenderetur? quantò plura debent fieri, & dari pro ascensu in cælum, non vnâ die videndum, sed per totam æternitatem

tem

tem possidendum, & ibi dominandum? Quantò pluris debet fieri, habere in terrâ Deum ad te descendentem, & intra te manentem, quàm si detractum fragmen de sole tibi semel monstraretur? Si hoc ita est, quæ causa est amentix nostræ, vt contemptis spiritualibus amemus temporalia, nisi quia languet fides nostra? quæ si viuida esset, primâ vice quâ audissemus dictum Christi, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum; vix vltima syllaba fuisset pronuntiata, cum iam renuntiauissemus omnibus quæ possidemus.

O pudor noster! Philosophi fuerunt, qui vt istud cælum materiale solum modò expedite considerarent, reliquerunt omnia sua bona, aurum, argentum, & quidquid habebant: & nos vt simus Domini cælorum, recusamus dare minima. Ethnici, qui immortalem animam negabant, consulebant & eligebant paupertatem, pro breui commoditate huius vitæ, vt sine curis illam ducerent: & nos pro istius vitæ comodo, & æternæ spe, nec volumus cupere hanc virtutem. Plus valet tibi pax temporalis & lætitia cordis tui, quàm omnia Regna mundi: quanti pluris faciendum est gaudium æternum, & super omnia quanti faciendus est Deus? Vilissimum esset pretium omnes thesauri Cræsi, & diui-

tia Salomonis, & Monarchia Augusti aut Traiani, vt vnam alapam acciperes pro Deo: cur minoris non emis à Deo accipere osculum amicitia, amplecti & possidere illum, & facie ad faciem videre? Adam cum eiectus è paradiso fuit, positâ custodiâ cum gladio flammeo & versatili, si non habuisset redemptorem Christum, sed posset pecuniis corrumpere Cherubim, vt permitteretur iterum intrare ad pristinum & felicem illum statum, vbi tam pauper vixit vt non haberet vestitum, nonne daret omnia quæ possideret in terrâ istâ fecundâ tribulis, & irriguâ sudore suo? quantò magis debemus nunc facere, vt ad amplexus & gloriam Dei veniamus, vt lucremur ipsum Deum? An fortè excusabimur, quòd habeamus redemptorem, cum potiùs proinde magis obstringamur, si gratitudo aliqua est in nobis, ad imitandum illum, & parendum eius monitis, & credendum eius verbis, qui difficilius dixit esse, intrare diuitem in cælis, quàm camelum per foramen acus?

O amabilissime Domine, si tu es pretium paupertatis, accipe mea, & me primum. Vtinam tam pauper essem, vt nec me haberem! nam satis diues est, qui se habet, cum possideat hominem. Qui alia reliquit, & non se, nihil magnum facit contemnendo ea quæ ex
se

se terra & puluis sunt; quæ mali quid plerumque habent, & quibus mali fimus, quibus acquirendis angimur, acquisitis timemus, ablati dolemus. Nihil magnum est, relinquere quæ nos relictura sunt, & interim multis modis lædunt. Te ipsum, Domine, pro homine dedisti homini, factus homo, vt isto commercio hominem comparares, non diuitias hominis: se ipsum reddere debet homo, nec se credat pretiosorem Deo. Iniustissimum est, si se homo deneget Deo, qui tanto pretio ipsum emit. Æstimet Deum homo, & vindicet iniuriam Iudæ, æstimatis LE SVM triginta argenteis dumtaxat. Æstimet Christum Christianus pluris quàm mundum, & creatura pluris taxet Deum quàm se ipsam. Qui alia reliquit, & non se, non minuit cupiditatem, sed auget sæpè. Priuatio est causa appetitus, & defectus rerum excitat cupiditatem: pro eo qui omnia est, iustum solum pretium sunt omnia. Omnia relinquenda sunt, in quibus ipse homo continetur: nam retento appetitu, etsi cetera relinquuntur, instaurabitur cupiditas, quæ est quod solum nocet: non enim rerum substantia est mala, sed concupiscentia.

Non tantùm possessiones sunt relinquendæ, sed cupiditates. Non sufficit relinquere quæ habes, sed opus est non quærere alia,
nec

nec oblata & data admittere ; nec mutua-
ta quoad possis ad vsum accipere. Non est
quod nocet proprietas rerum, sed vsum. gaude
minus quàm reliquos habere, fugiens singu-
laritatem, quæ in perniciem ceterorum ex-
emplum mali præstat. Singularis fera est, quæ
depascitur vineam Domini: plerique viri Re-
ligiosi minus in hoc cauent; putant non in-
quietari spiritum, dum non sint solliciti & cu-
pidi: at quando absque sollicitudine suâ &
cupiditate aliqua res offertur & datur, putant
abesse periculum, cum maximè ipsi non sint
amplius de aliis rebus solliciti. Verùm non
abest: quia etsi non sit periculum in acqui-
sitione rei, est in possessione & vsum. Sunt ipsæ
res famelicæ aliarum: quare etsi homo non
habet in se cupiditatem aliarum rerum, ipsæ
res habent, à quibus auget sibi possidens cu-
piditatem: aliæ enim res indigent aliis. Præ-
tereà si reliquisti tua, cur vis vt factum tuum
rescindat alius? quod iuxta consilium Chri-
sti tu probasti, cur consentis quòd improbet
alius? an quia putas posse quoque ea data rur-
sus te dimittere & relinquere? huius com-
pendium melius est, si non acciperes. Non
est laus paupertatis relinquere plura, sed nihil
habere, & sibi nullam rem seruare. Cur laus
& gloria Apostolorum tanta fuit? fortè quia
vilia retia dimiserunt? an fortè quia nihil ha-
bere

bere voluerunt? hoc est, relinquere omnia. Si instat alter vt accipias; nobile sit certamen liberalitatis illius, & paupertatis tuæ: deses eris si vinceris. Paupertas tua vicit liberalitatem tuam: cur non vincet alienam? Maluisti esse pauper & indigus, quàm tua retinere, quibus esses liberalis: cur mauis alium esse liberalem, quàm te pauperem? Anne bonum consilium esset, alicuius qui diceret, Retine hoc, ne relinquant omnia? Minimè: nec acquiescendum esset contra consilium Christi. Idem puta dicere qui dat: Caue, ne assentiaris. Sed postquam tua reliquisti, noli accipere aliena: sed ea etiam quæ non habes, nec potes habere, contemne propter Deum. Talis amor paupertatis solet generari seruis Christi; vt vel si ipse IESVS, propter quem reliquerunt omnia, restitueret aliquid, vel iuberet possidere nonnihil ex hoc mundo, replicarent, & appellarent ad thronum misericordiæ suæ, reputantes id supplicium esse.

O quàm locuples ita erit pauper spiritu, solo animo suo, si nihil cupit! nam simul ac in corde non vult habere thesauros mundi, statim transfert illos in cælum, factus eorum Dominus, vendens illos Christo sine iniuriâ possidentis & vtentis. Ex diuitiis, quæ nec suæ sunt, nec esse poterunt, mirabili modo ditatur habens diuitias in cælis, & in terris

non

non habens inopiam : nam non est grauis paupertas amanti , sed pacifica & suavis ; iis solis acerba est , qui oderint illam & infectentur : nec mirum est , quòd molesta sit persecutoribus & inimicis suis ; nullis tamen est mala , sed omnibus bona : nam iis qui omnia ex corde contemnunt propter Deum , minimè officit ; iis qui terrena cupiunt , nimium prodest : vt vel coacti minuant peccata , ad quæ facultates præberent facultatem aut audaciam. Quare istis quamuis amara & ingrata videatur , magnam de illis gratiam meretur.

CAPVT XI.

Patientiam in cunctis necessariam esse.

Patientia opus desideratissimum est : plus debes desiderare patientiam , quàm curare vitam : nam plus est necesse pati , quàm continget viuere. Non natus es vt placidè ad tempus viuas , sed viuis vt patiaris ad tempus ; & pateris ad tempus , vt in æternum viuas. Natus es ad vitam , quæ non intermittetur ; opus est vt interim sine intermissione patiaris. Vita hæc non sui causa est : nam nec viatores vadunt , dumtaxat vt eant : viuimus propter aliquod excellentius. Vita ista , quid nisi labor , ad quem homo natus vt inde beatus fiat?

fiat? Poterat Deus nos creare in gloriâ: quid opus erant circuitus & ambages huius vitæ, nisi conueniret priùs pati? Habe fidem huius verbi, & conserua in corde tuo: Nihil magis ad vitam necessarium est, quàm patientia; quia nihil magis est contingens, quàm pati. In molestiis inexcusabilibus excusat, & fallit dolorem, quem impatientia auget. Impatiens esse cum aliquâ excusatione posses, si impatientia excusaret laborem: at inexcusabile est, sine fructu aliquo ingentes fructus patientiæ amittere, quos ex omni ferè opere & labore tuo mereri posses. Ne propter vitæ aut hominum molestias, exercitia bona dimittas, aut remissè facias: nam cum iniustiâ magnâ lueret Deus illatam tibi ab hominibus iniuriam: Deus innocens non debet soluere noxam tibi nocentis.

Si affuescas patienter pati ipsas tribulationes, fies quodammodò impassibilis & laborum amator. Cinerem iam non vrit ignis, nec iniuriam ipse cinis ab illo accipit; potius amat ignem, fouet, & conseruat: ita qui magis patiens est, sæpè pluribus laboribus diuino quodam priuilegio magis gaudet. Patientia non excusat laborem, sed dolorem; quod satis est: tam benè merita de nobis est, vt materiâ meritorum nolit defraudare nos, sed solùm laborum molestias mitigare: inuenit

nit

nit modum quo frueremur meritis, nec tristaremur laboribus. Nihil ferè Deus promptius & libentius facit, quàm verè patienti mittere aduersitates, confusiones, humilia-
 tiones; quia hunc verè mortificatum charis-
 simum habet, & suos amicos vult Deus dita-
 re meritis, quæ in laboribus & aduersis offi-
 cinam suam habent. Quare non solùm opus
 desideratissimum est patientia, sed ipsum pa-
 ti. Nihil Deus ex maiori dilectione & dulcio-
 ri corde immittit, quàm labores, & amaram
 crucem Filij sui: nihil tu deberes magis opta-
 re. Cor Christi amantissimum, impropere-
 rium expectauit & miseriam: quomodo tu
 discipulus eius eris, si oderis & fugias? Nolis
 à Deo aliter amari, quàm amatus fuit Vni-
 genitus; nec velis aliud amare, quàm quod
 ipse Filius Dei amauit.

Non eris satis patiens, nisi desideres pati:
 non eris nisi dimidiatè patiens, si tantùm
 molestiam illatam feras, nisi desideres infe-
 rendam, sed sine culpâ alicuius. Quid con-
 quereris? verus patiens numquam dicit iniu-
 riam suam, nec molestiam suam alteri nar-
 rat; quia non consolatur querelis & excusa-
 tione, & minimè vult curare alleuationem
 sui doloris. Quid ægrè fers adimplere quæ
 desunt passiombus Christi? Christus pro
 gloriâ Dei non tantùm voluit pati flagella &
 crucem,

crucem, sed omnes cruciatus hominum
 optavit, & hunc ipsum laborem, qui modò
 te molestat, voluit sentire; qui defuit passio-
 ni eius, hoc est, desiderio ardentissimo pas-
 sionis maioris, & totius cruciatus. Gaude
 pro Christo illum ferre, qui deberes immen-
 sum fauorem æstimare, vnum flagellum
 suscipere, vt Christo non infligeretur: at si
 toleras patienter hunc leuem laborem, qui
 defuit voto Christi, erit contentus Christus,
 & consolaberis illum. O IESV amantissime,
 quid affligor in tribulationibus meis, si ha-
 beo hoc solatium, vt te consolet in illis?
 Quæsiuisti Domine qui simul contristaretur
 tecum, & non erat: ecce adsum libenter, af-
 fligar & contristabor tecum, vt socius tuus
 sim laborum & mortis. Quis mihi daret, vt
 morerer pro te, Fili Dei? etsi das solùm tri-
 bulationem hanc, cur reiiciam tribulari leui-
 ter pro te? Solantur se alij, si simul alij homi-
 nes patiantur: cur me non consolabor ego, si
 simul cum Deo meo patiar? Sat mihi hoc,
 nec compassionem hominum quæro. Non
 amplius Domine dolebo, quòd videam mi-
 hi soli iniuriam fieri, me solum contemni:
 imò hoc solatium mihi erit, præter societa-
 tem IESV patientis, quòd solus patiar, nec a-
 lium fratrem meum videam in simili labore.
 O Iesu, nihil in hac tribulatione habeo, de
 N quo

quo

quo conqueri possim : cur putabo contemptum , quod mihi fit , si apud te est dignitas ? cur putabo iniuriam mihi fieri , si est magna gratia tua ?

Quis ob crimen Maiestatis læsæ expectans sententiam capitis & acerbissimæ mortis , si pœnâ leui pecuniariâ aut priuatione solùm bonorum condemnaretur , non summè gauderet ? an impatenter ferret , aut iniuriam putaret , & non potiùs gratulationes ab omnibus acciperet ? Reus Maiestatis diuinæ es ô peccator , mereris pœnam ignis in inferno aut purgatorio : cur non feras , quòd loco illius solùm damneris leui pœnâ pecuniariâ in hac iacturâ rei familiaris , aut splendoris tui , aut alterius commodi & honoris temporalis ? Qui damnandus esset capite in publico patibulo , si differretur supplicium quia ægrota- ret , gauderet , etiam si morbus grauissimus esset , & vellet diuturniorem fieri , cum tamen non dimitteretur pœna , sed differretur : Cur tu molestè fers hanc leuem ægritudinem , si pro eâ dimittetur tibi pœna aut æterna , quia ex eâ compunctus es , aut purgatorij ?

Memento passim patientiæ & societatis IESV patientis , vt feras iniurias , & te contemnas . Si non sufficiat , memento patientiæ diuinitatis in peccatis hominũ . Coram facie suâ Deum contemnimus , & coram sua Maiestate peccamus .

peccamus. Quin in gremio & amplexu brachiorum suorum dum nos sustentat & mulcet, offendimus, nec proinde abiicit nos è suis vlnis & annihilat, sed solem oriri facit super bonos & malos. Quis inimico insidianti sibi, & offendenti, interim teneret lychnum accensum, cuius luce vteretur ad iniuriam eius, & non extingueret statim? O magna patientia & humilitas Diuinitatis! quæ & contemptoribus suis seruit vt famulus; & dum contemnimus, præparat nobis alimenta, & delicatos fructus terræ coquit & condit, vt suauiter & abundanter nos alat.

CAPVT XII.

Quantum bonum sit subditum esse alteri.

O Sapiencia inscrutabilis! quas gratias tibi referam, quòd communiceris mihi ignorantissimo per sanctum & humile obsequium, quod est summa hominum prouidentia & scientia. Diuinæ sapientiæ est, in nullis posse errare: obediens etiam in nullis errat, si pareat humiliter iubenti Superiori. O quàm magna & discreta prudentia, simplicium est obedientia, nihil discernens. Quantum beneficium, inter caligines quas offundunt passionés, & errores quos efficiunt cupiditates, & ignorantias in quas ho-

196 -- IO. EVSEBII NIEREMBERGII
minum deprauata conuersatio & mundi le-
ges ac mores impellunt, erit sapere & guber-
nari prudentissimè absque vllò errore, perin-
de ac si sapientiam & diuinam prudentiam
haberemus? Hoc facit inuentum sanctæ
obedientiæ, quæ vicaria est Sapientiæ diui-
næ, & vtilissimum compendium prudentiæ.
Quid sapientius, quàm non posse errare, quæ-
cumque fiant? Virtutes alias debet præcede-
re prudentia, quæ difficillimè ab hominibus
habetur: sed facillima prudentia est sincera
obedientia. Hanc antecessionem habet infe-
rior supra Superiorem, quòd non possit in
suo munere errare. Superior iubendo errare
potest & delinquere, sed inferior obediendo
nequit errare. Benè potest imprudenter iube-
re Superior, sed subditus nequit imprudenter
facere cum obedit, nisi cum manifestum
peccatum iubetur. quod iam non esset præ-
ceptum, sed tentatio. Potest deficere Præla-
tus præcipiendo; sed non obediens, quia ne-
quit non facere voluntatem Dei, parendo.
Est vndique curata & munita obedienti se-
curitas voluntatis diuinæ: etsi dum præcipi-
tur, fiat contra voluntatem Dei nolentis ita
præcipi; qui paret tamen, iuxta voluntatem
Dei operabitur, & interdum cum maiori me-
rito. Malus Superior potest esse, & malè po-
test iubere: at quia benè obedire semper pos-
sumus,

sumus, dum non præcipiantur mala, amandus est omnis Superior, & insuper tolerandus malus: vbi duplex est meritum, charitatis & patientiæ. Aliquando poterit subditus putare meliora aut vtiliora animæ suæ, quàm quod Prælatus iubet; non tamen propterea debet relinquere iussa: nam nihil prouidebit vtilius, quàm cum charitate relinquere & abnegare voluntatem propriam & iudicium.

Obedire tutissimum est: ideò clausis mentis oculis & celeriter debemus id facere, supplendo & addendo voluntate & affectu erga iussa, quod intellectus noster considerare haud tenetur. Tam gratum & locuples bonum est obedientiæ, vt ratiocinatione non egeat ad obtemperandum. Obedientia est patentissima inspiratio Dei, & tutissima reuelatio, in quâ nequit dubitari an sit à Deo. Si Angelum videres ad te venire, & nuntiaret Dei voluntatem esse vt aliquid faceres; nequaquã torperes dum exequeris illud, licet molestissimum opus esset: celerius debes exequi quod Superior præcipit; quia securius & certius est esse Dei voluntatem, vt facias quod tibi præcipit homo, quàm quod Angelus videretur mandare. Ideò post mandatum hominis non debes considerare plura, nec morari, sed exequi: at post locutionem Angeli deberes considerare, quis tecum fuisset

collocutus, an dæmon, an Dei spiritus? an bonum, vel melius esset, quod præcepisset? Magnus fauor fieret, si ad singula opera moneretur quis ab aliquo Seraphim descendente à latere Dei mittentis illum, vt diceret in nomine suo, Hoc vel illud facito: nō minùs vtile est obedire in Deo homini Superiori, qui est oraculum domesticum & securum, quasi doceris à Spiritu sancto. Duæ sunt præcipuæ causæ peccatorum, inconsideratio mentis, & deprauatio voluntatis: vtramque tollit obedientia; nam sequitur iudicium alienum, quo considerationis propriæ & prudentiæ bonum supplet & excedit; & ne prauè velit, sequitur voluntatem Dei placens illi semper.

O quantum solatium est amatori tuo, IESV, non solum operari vt placeat tibi, sed quia tibi placet! Hoc est priuilegium obedientiæ, vt aliquâ mercede non frustretur; quam non solum ex opere sperat, sed in opere habet, & finem suum in principio obtinet, nempe beneplacitum Dei: quod non in futurum pendet, cum anticipetur obediendo. O desideratissimum obedientiæ opus! quomodo aliqui queri possunt aut excusari ab illâ, quod si humiliter & promptè obediunt, præcipiantur plura; quod soleant Superiores plus iubere eos, qui sunt obedientiores? Stultissima est hæc querimonia, cum queramur
de

de iis quæ debemus optare. Favor Regum putatur, quòd alicui committantur aliqua; & maior favor quòd plura mandantur: cur si Deus nobis similiter faueat, licebit queri? Domini plerumque iis seruis præcipiunt, quòs magis familiares & charos habent, & putant fideliores: cur querimur quòd Deus nos vt fidos habeat? O Deus cordis mei, si Filio tuo hoc modo fauisti in hoc mundo, qui factus fuit obediens vsque ad mortem crucis; an fortasse audebo præsumere mihi maius genus gratiæ? O Iesu, qui in omnibus factus es obediens, da mihi vt nullam obedientiam recusem. Omnia fecisti obediendo, à natiuitate vsque ad mortem; Cæsari & Pilato subiectus non minùs quàm ad moriendum. Fuit quoque hora in quâ subiectus voluisti esse potestati tenebrarum, nolens resistere dæmonibus, sed summâ obedientiâ infernali furori cessisti, in carnificibus & inuidiâ Iudæorum: & quia incarnari non potuisti obediendo, nondum enim erat humana tua natura, suppleuit hanc obedientiam mater tua concipiens te, cum magnâ illa obedientiâ & mentis summissione.

O desideratissimum obedientiæ opus! cum certissimum sit, esse gratum Deo, & optimum. Adam cum non obediuit, sciuit bonum & malum: obedientia innocentissima

est; non tantum nescit bonum & malum, sed ignorat bonum & melius: nam cuncta obedientiae opera optima sunt; quorum comparatione, alia ceterarum moralium virtutum non habent comparationem in hoc quod nulla sint antehabenda iussis: nam qui reliqua fecerit, sed contra obedientiam, mala facit: at si omittat propter obedientiam, cunctarum virtutum meritum habet. Nescit obediens, Melius est facere hoc quam illud; sed optimum est facere quod praecipitur. Qui habet obedientiam, habet in compendio alias virtutes: qui obediens est, & castus erit, & pauper. Adam postquam non obediuit, statim sensit stimulos carnis, & quaesivit vestitum; dum fuit obediens, castissimus & virgo mansit, & suam nuditate contentus pauperrimus. O desideratissima obedientia studioso virtutum & amatori Dei!

Consolare o anima, cupida & desiderans videre faciem eius, in quem desiderant Angeli prospicere: consolare interim, & reuerere Superiorem quemcumque, ut euidentem Christum, & Deum visibilem: non in se solum, sed in Praelato etiam colitur Deus. Crede, diuinam Bonitatem tibi providisse & decreuisse hunc Praelatum in aeterno suo amore & sapientia, ut per illum, & non per alium suam gratiam tibi largiretur & praedestineret.

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. II. 201
ret. Auctoritas Dei est in illo, ne scruteris cur
hoc præcipiat? Deo est pro ratione voluntas:
ita ab eo qui vicem Dei agit, nullam aliam
rationem requiras. Cur exposcis rationem, ut
te tradas Deo? Dic mihi, quæ ratio fuit, cur
Deus non alium hominem, fortasse futu-
rum meliorem, sed te creauit, & te dedit ti-
bi? Si non assignabis, cur quæris rationem, ut
te reddas Deo per omnem resignationem
voluntatis? Magna gloria & iucunditas cæle-
stium spirituum est celebrare Deum; sed ma-
ius est esse proprium Dei, quàm si laudares
illum ore.

CAPVT XIII.

*Defectus leues & quotidiani quantum
damnum efficiant.*

CUr contemnis in animâ, quod deside-
rant homines in corpore? cuius non so-
lùm vitam curant, sed & formam & valetu-
dinem. Intolerabile malum esset, semper æ-
grotare; & horribile, artus brutorum inter
humanos habere. Non solùm peccata magna
extimescas, sed ipsas concupiscentias & cogi-
tationes culpabiles, & imperfectiones hor-
reas. Quanta deformitas esset, si os serpen-
tinum in facie tuâ haberes? Maior est, ver-
bum quo vel leuiter detrahas, aut offendas

N 5 ali-

aliquem, siue otiosè dictum. O Veritas! ô Bonitas immensâ! precor per merita Christi, vt tollas velum mentis meæ, quo possim noscere quàm stupendum malum sit in minimæ culpæ malitiâ! ô homo, quàm horrendus coram hominibus esses, si appareres quodam die caput bouis aut equi habens in tuo corpore humano! Peius est, si coram Deo & Angelis, in animâ tuâ, diuinâ factâ per gratiam, tractes cogitationes desipientes & otiosas rerum terrenarum, & brutalem sensum commodi tui: imò maior proportio est inter corpus humanum & brutum, quæ in eodem gradu rerum sunt, quàm inter gratiam, & peccatum etiam leuissimum. Quare deformitas minimi defectus venialis excedit omnem horrorem & deformitatem corporalem, non modò quæ sit, sed quæ cogitari possit, aut sit possibilis. Quæso, ô spiritus desiderator Christi, per eius cruorem sanctissimum, vt hîc sistas, & perpendas istud iusto iudicio: & qui nauum in corpore nolis habere; in animâ, sponsâ IESV, quantum possis, ne permittas hæc monstra. Dilata facultatem mentis omnem, & artem cogitationum tuarum, & confinge horridiorem quàm possis deformitatem, & tortuositatem, vt eius solùm cogitatione stupeas & formides: parua erit præ deformitate culpæ leuis. Pre-
tiosioris

tionioris rei peior corruptio est; & eius quæ rectissima debet esse, magis offendit obliquitas: quid pretiosius mente & arbitrio, quod super omnem aliam creaturam est? quare minimum eius vitium deformissimum est; nec est mens humana & Angelica, quæ adæquatè malum noscat, quod in animâ causet. Quale prodigium esset, si in ventre tuo gestares cor, non in pectore? Maius monstrum est, animam ad amandum Deum factam concupiscere voluptates; & intemperantiâ gulæ, aut alterius pravi affectus negligentiam deformari.

Non solum peccata magna horreas, sed ista, & omnia venialia, quæ putantur leuia, & falsâ voce parua dicuntur. Non iustè dicitur leue & paruum aliquid, quod solum supra se habeat aliud magnum. Non est paruum culpa venialis, quod supra se solum habeat aliud maius, id est mortale peccatum: imò proinde magnum censenda, quod supra se non habeat, nisi vnum malum quod sit maius. Non solum homines censent mortem malam & timent, sed & febrim & letale vulnus. Ingens malum est, quod vno tantum malo est minus: ingens malum, quod ceteris cunctis malis est maius, penuriis, opprobriis, iniuriis, ægritudinibus, tormentis, & ipso inferno: ingens malum est, quo maius, aut æquale, Deus tibi immittere nequit, nec sciet;

fciet; etsi omnes damnatorum cruciatus in te solum aggereret.

Grauiissimum putares, cancro laborare, exuri & pasci membra tua: quid si ad hæc iungerentur ceteræ ægritudines maiores, lepra, asthma, paralyfis, hydropifis, abominatio stomachi, podagra, cæcitas, phrenesis, stupor linguæ, extinctio caloris natiui? vna sola culpa venialis magis nocet quàm cuncta illa. Peccatum veniale est cancer; serpit paulatim vsque ad interitum, inducens in alia plurima, & demum in mortale, nisi prius refecetur prauus affectus: est lepra, maculatam & fœtidam animam seiungit à complexu Sponsi: est asthma, causans difficultatem aspirandi ad cælestia, & excipiendi diuinas inspirationes, molestans & contristans Spiritum sanctum: est paralyfis, impediens agilem motum ad Deum, torpere faciens in diuino seruitio: est hydropifis, gignens sitim & æstimationem rerum temporalium, negligens diuina & salutaria: est abominatio stomachi, fastidium efficiens rerum spirituum: est podagra, impediens nos ne procedamus in profectu nostro: est cæcitas, faciens cæcutire ad cognitionem veritatis, & cælestium bonorum, amentiam mundanam inducens, velut densa nubes obtenta oculis: est phrenesis, faciens insanire animam. Quæ maior

maior infania, quàm si quis purpuram regi-
 giam, quâ honoris causâ à Rege fuisset do-
 natus, vt coram se adstaret, & loco filij ha-
 beretur, immergeret in locis cœnosis, & de-
 inde appareret ridiculè coram Rege? sic gra-
 tiâ indutus, & purpurâ Dei, per peccatum
 veniale se maculat, & luto se inficit, licet non
 exuat illam; & deinde coram Angelis audet
 apparere & assistere Deo. Est quoque stupor
 linguæ peccatum veniale, orationes nostras
 inefficaciores reddens, vt non mereamur au-
 diri, nec exaudiri à Deo: est tabes, labefa-
 ctans animum ad resistendû diabolo: est ex-
 tinctio caloris, feruorem charitatis minuens.
 Anne paruum est, quod est causa tantorum
 malorum? Quomodo sic affecta anima, pe-
 tet quiescere in sinu Sponsi? Fœtor oris so-
 lum sufficiens causa diuortij in thoro est:
 quomodo leprosa, paralytica, hydropica,
 lippiens, audebit petere, vt osculetur illam
 Sponsus osculo oris sui? Vestem nostram, si
 sputis aut cœno inquinaretur, imò si solum
 madefieret aquâ purâ, statim à nobis abiice-
 remus & exueremus, nec cum illâ coram
 hominibus compareremus: quomodo non
 vestitum, sed nos ipsos fœtidos, sordidos,
 maculatos, ægros patimur, & Deum ample-
 cti volumus, nec prius tergi & sanari satagi-
 mus? Si vt liberareris à quolibet dictorum
 morborum

morborem in corpore, nempe cancro solo, imò vt sperares liberari, licet incertum esset, libenter permitteres secari membra; quid faceres, vt ab omnibus sanus fieres? O insensibilitas humana! quæ tot mala animæ non dolet, & pro certâ & inæstimabili meliori animæ valetudine à tot grauiissimis morbis facile & leue remedium quoad possit, non curat; cùm pro incertâ salute corporis non parcat membris suis, nec tormentis omnibus.

Age stulte, cura animam; & præcaue, quantum possis, ne in tot morbos incidat, vitando veniales culpas: propterea ne parcas exiguo labori & diligentia. Magnitudinem morbi ex magnitudine curationis conice. Vide quomodo medicetur illis purgatorium, quod est nosocomium culparum: anne paruum est, quod curari opus est igni illo & acerbissimis cruciatibus? Anne parum suspicaretur aliquis, si videret vnâ horâ puniri feminam delicatam in fornace ignis ardentis, & id iussu clementissimi & dilecti sponsi? Planè aut sponsus esset furens, aut culpa nimium displicuit. Cur parum reputantur culpæ veniales, ob quas misericors & amans hominum Deus vult animas gratas sibi detineri per dies, & annos, in purgatorio, absque vllâ compassionis benignitate? aut Deus iniustissimus & atrocissimus est, aut culpa venialis

lis

lis terribile & stupendum malum est; aut Deus crudelis tyrannus est, aut culpa minima tremenda irreuerentia & ingratitude est. O Domine, non tyrannus es, sed humilis animarum amator: & misericordia tua super omnia opera tua; impudentia mea est stupenda, & enormis: quam tu æquissimus, mitissimus, & humillimus corde, qui potius minori gauderes punire supplicio, seuerissime corrigere opus habes, ne violetur iustitia tua.

Canem si quis videret cum flammis luctantem, & pereuntem in medio rogi, compateretur: quid esset, si videret filium suum charum ibi aduri? O misericordissime Pater, quomodo dici potest parum culpa venialis, pro qua non decet ut compatiaris, videns aduri & torqueri in purgatorij ignibus filios in gratiam tuos, quos tantoperè amasti? siquidem pro illis sanguinem tuum & vitam dedisti. Non defecerunt tibi pietissima viscera paterna, nec sapientia infinita: non es Deus ignorans, qui falli possis in iudicio culpæ; nec crudelis, qui gaudeas nisi inuitus cruciari: quare, si quem amas, ita punis; ingens malum est, propter quod ita sæuit ipsa misericordia.

Proponamus aliquem hominem, sine vllâ notitiâ inferni, aut purgatorij; sed solùm per reuelationem ostensam fuisse illi vnam animam

man

manam terribiliter cruciari in illo igne pro peccato veniali, sed illum nescire occasionem talis supplicij : quam quæso cogitaret fuisse causam eius tormenti ? anne paruum putaret ? vel maximum aliquod malum , quod à benignissimo Deo tantoperè puniebatur ?

An etiam parum dicetur , quod in hac vitâ punit Deus maximo omnium supplicio mortis ? Si Deus infligendo pœnam non potest falli, cum infligat tantam ; quantum erit propter quod infligit ? Ecce , seruos suos Moysen & Aaron pro culpâ veniali morte mulctauit. Oza & vxor Loth pro culpâ etiam veniali , vt putatur , tremendo supplicio interempti repente sunt. Abbas Moyses pro vno peccato veniali traditus fuit & occupatus à dæmone ; & quidem minus malum esset habere in corpore mille dæmonum legiones, & vexari ab illis , quàm habere in animâ vnum peccatum leuissimum , & delectari illo. Dæmon quadraginta annis anxius fuit, vt quidam seruus Dei incideret in quamdam culpam venialem. Anne stultus est dæmon, qui pro re leuis momenti ita vigilaret, & tam diu expectaret ? cur nos vt tantum malum vitemus, vno die non erimus diligentes ? O purissima Veritas , purifica spiritum meum impurum à tanto malo : & illumina me, ne parum credam id, quia parum curo, cum dæmones

mones tantoperè curent; sed magnum credam, quod fit contra Deum tam magnum: nec pusillum & leue reputem, quod ego pusillus, leuis, & inconstans committo passim & constanter peccando; sed ideò credam magnum, quòd ego pusillus & vilis audeam id facere contra Deum Maximum & Optimum.

Quantum est, quod priùs debeo eligere, vitare semel ne committam, quàm millies mori, quàm terram & cælum redigi in nihilum, quàm damnari totum genus humanum? Si beatæ Virgini, lacrymanti ad pedem Crucis cruciatus & mortem Filij dilectissimi, daretur optio, an vellet Christum suum liberari ab opprobriis & cruciatibus illis, & videre statim sedentem à dexterâ Patris, simulque saluari mille mundos, aut assentire in vnum peccatum veniale; potius vellet non facere illud, consuleretque id mihi, & mallet iterùm videre crucifixum sine culpâ aliquâ suum dilectum Filium & Dei, ac grauiora pati, atque si opus esset, & liceret, ipsâ manu suâ pientissimâ clauos figeret, & maiori charitate quam Abraham sacrificaret. Quæso etiam, parùmne obsequij & solatiij fieret Virgini & IESV, si homo aliquis fuisset qui tunc se substituisset in monte Caluarix loco Christi, vt pro illo cruci impone-

O

retur

retur & pateretur? Crede tamen quòd maius solatium à te potius requirerent, vt vitares peccata venialia. Computa modò, an parum sit quod præponderaret tanto obsequio; neque deneges hoc solatium Christo patienti, & Matri compatiendi. Deleatur à nostrâ opinionione, paruum aut leue esse hoc malum, quod Virgo, Christus, Deus Pater tanti iudicat, & punit.

Non est parum, quod ad magnum finem ordinatum impedit; quod in hac vitâ minuit amorem Dei, & eius visionem in alterâ retardat. Non est parua moles, quâ celerrima & potentissima Dei misericordia & desideria velut impediuntur, & morantur. Anne parua violentia esset, quæ maximum saxum à cælo cadens in aëre suspenderet, iam iam proximum terræ & centro suo? Non igitur paruum est peccatum, quod suspendit munificentiam diuinam, & desideria ardentia sanctæ animæ, ne contingat centrum suum Deum, & terram sanctam beatitudinis promissam, sed in purgatorio detineat. Non parum displicet Deo, quo cogitur non statim dare, quod tantum placet illi largiri, & placebit nobis frui. Non est parum, quod impedit magna dona Dei, etiam in hac vitâ resistens potentissimæ liberalitati eius. Trepidemus ad tantum malum, & omnibus viribus,
quoad

quoad possimus, vitemus diligentissimè; nec pudorem culpæ sustineamus.

Quomodo serui Dei aut filij aut sponsæ nōmine gaudebit anima, quæ negligit placere Deo, & in omnibus obsequi cum omni voluntate? Quàm scelestus esset seruus, qui nihil vellet facere benè, nisi cum gladio stricto minaretur herus mortem; nec aliter, siue flagellis, siue blāditiis, moueretur vt bona obsequia præstaret? Quàm peruersus filius, qui nollet aliquid gratum patri facere, sed displiceret semper, nisi quatenus non mereretur hereditate priuari; alioqui nihil curaret obsequi illius voluntati & desiderio, sed in omnibus resisteret? Quàm perfida sponsa, quæ fidem & amorem sponso solùm seruaret, quoad non prouocaret illum vt occideret ipsam, in reliquis verò aduersaretur ac displiceret; & tametsi puniretur, numquam emendaretur? Quale signum amoris filius aut sponsa præstarent, si dicerent, Verè diligo patrem meum aut sponsum; sed præter mortem aut vulnus mortale, quidquid ei iniuriæ inferam, non curabo multum; faciam omnia liberè prout mihi placet, nec prætereà sollicitus ero placere illi, dummodò me non occidat, aut patrimonio priuet? quis ferret hæc dicentes & facientes? Similis est qui peccata venialia cōtemnit, & solùm seruit Deo, quatenus non

occidatur anima, aut cælo priuetur, per peccatum mortale. An fortè esset paterfamilias, qui talem seruum aut filium aut coniugem domi vellet habere? Hæc patientia Dei, quæ nos tolerat abutentes toleratione eius.

Ne igitur putemus paruum esse has culpas; quæ etsi parum quid essent, sunt plures, & Deus est magnus & vnus. Arenulæ parvæ sunt, sed tot possunt esse, vt obruant citiùs quàm saxum ingens. Infirma res est vna locusta: sed quæ plaga maior agris est quàm multitudo illarum? Ex paruulis guttis pluuiarum, inundatio vrbiùm magnarum fit. Si tot paruula vulnera seu punctiones in corpore haberemus, si tot pustulas in facie, si tot scissuras in vestitu, vt fiunt peccata venialia, semimortui essemus, horribiles, & panè nudi: cur in animâ illa patimur, nisi quòd plus amamus eutem & vestem, quàm animam? O quantâ confusione sic affecti coram Deo audemus apparere! Sed quid numerum accuso? Vna sola culpa formidanda est, quam paruum quid esse non poterit cogitare, qui Deum cogitat infinitum; nec parum esse dicet, qui multum amat: qualis amor Dei erit illi, qui parui facit displicere Deo? Qui in paruo displicet, iam displicet: qui displicet, iam contra legem ardentis amoris facit.

CAPVT XIV.

De solertiâ circa res exiguas.

DEus maximus est : in eius obsequio nihil putes minimum : non satis magnus esset , nisi vinceret omnem paruitatem. Si amas illum , in minimis officiis probatur vera amicitia. Peritia artis in paruis ostenditur : virtutis perfectio non est rudior , ideoque non expectat solum magna. Natura in minimis admirabilior est : minutissima animalia maximè curat. Gratia non est obtusior , nec debet esse segnior. Quæ minutiora videntur , diligentius curanda sunt. Cùm Deus tantus sit , nihil est paruum , quod ei displicet , aut quod ei placet. In bono & malo non est minutum. Quidquid bonum est , statim est magnum : quidquid malum est , statim non est paruum. Infinita bonitas omnes nostras vires exigit : iniuriam faciet , qui debet omnia , si neget aliquid. Ne dicas , Hoc quid præstat , hoc parum interest , hoc nihil est. Imò multum est hoc quod putas nihil ; quia quod putas multum aut aliquod magnum opus , nihil est præ magnitudine Dei , & obligatione tuâ. O immensa Veritas , quomodo potest putari minimum , aut magnum , si mensura obligationis & diligentiae meæ est

O 3 immen-

immensitas tua , vbi non est paruum , nec magnum dumtaxat , sed excessus totius modi ? quomodo possum dicere , Hoc parum est ; si quidquid fecero pro te , nihil est ?

Non est paruum quod censetur minimum , cùm in minimis stet perfectio. Non sunt contemnenda minima , quia contempta sunt magna. In strue aridorum palmitum , quam domi habes , si scintillam ignis permittas , incendium magnum fiet , & tota domus conflagrabit. Corruptio naturæ nostræ aptior est malitiæ , quàm stupa sicca igni. Si leue aliquid negligas , fies paulatim peruersus. Non attendas paruitatem quæ est in initio , sed ex principio considera finem. Semina semper exigua nimis sunt ; sed in nullâ parte plantarum maior efficacia & vis est. Primum diuortium duarum viarum sensim protractum in maximum interuallum definit ; & in infinitum procedere potest , cùm prius nec vno gradu distarent. Si in paruo deuias à proposito tuo & rigore mentis , paulatim te inuenies longinquum à feruore. Magna sumunt initium à paruis : quare parum non est minimum , si est initium. Cuiusque rei præcipua pars principium est : imò non pars quælibet , sed dimidium totius dicitur.

Rectè putabat sanctus Ignatius Pater noster , plus latere periculi in minutis contem-
nendis,

nendis, quàm in maximis: horum damnum apparet, & curari statim potest; at minimarum rerum iniuria nisi progrediente tempore non percipitur, cum vix restaurari potest roborata consuetudine. Peccata magna, ipsa natura peccati & enormitas facit, ut auersemur: minimi defectus, quia parui videntur, hoc ipso negliguntur; iisque contemptis, non excitatur mens aduersus illa. Concupiscentia nostra in minimis acuitur, & ardet, quod sine magno periculo putet posse in his vagari, cum in magnis se compescat terrore damni patentis: at irritata & erudita semel cupiditas, in quæ non audebit & ardebit? Inde aliquando multò sollicitiores aduersus parua debemus agere, quàm contra magna. Ex minimis consuetudo nascitur, quæ præscribit vitia; non ex magnis, quia sunt rariora: nec minùs violentum erit resistere consuetudini, quàm naturæ. Facile ius & actio citius datur aduersus capientem per vim nostram, & palàm, quàm in vsucipientem. Quæ leuia videntur, auferunt à nobis pudorem peccandi: sed amissâ semel verecundiâ erga Deum, quid boni ex nobis promittimus?

Erubescere te continere à magnis, & vinci à paruis: nam ab hoste exili & pumilione sterni, turpissimum & ignaui signum est. Non contempndum est paruum, in quo

magnum pretium potest esse. Margarita quòd sit exigua, non putatur vilis; imò proinde pretiosior est, quòd in paruo corpore magnum pretium habeat: cur paruum contemnis, vbi plus fortasse placere Deo potes, quàm in maioribus? Pretiosius est obsequium & diligentia in minimis. Quemadmodum enim peritia artis est, includere in paruo magnum artificium; & naturam miramur, quòd in exiguis animantibus omnes officinas vitæ claudat: sic excellentia amoris est, ponere animum totum etiam in minimis, & magnum & ardentem affectum concludere in paruis rebus: & pretiosior est diligentia minorum, nam magnitudinis defectus ex affectu instauratur, qui est rerum pretium. Nihil rectè æstimatur, nisi ex animo: magnum est minimum obsequium, vbi est animus magnus. At non rarò maior est animus in paruis: quare non minùs gratum sæpè erit officium & solertia illorum. Magna per se excitant attentionem, & non molestant, quia rariùs contingunt: minima verò minùs admonent animum, nec expergefaciunt; & quia crebriora, fatigant: quare animus curator minimorum, magis est in illis, quia magis vigil, magis constans, & pertinax ad obtemperandum esse videtur. Non igitur magnus desiderator Christi erit, qui solùm ma-
gna

gna curat: non erit ardens amator Dei, qui mundum & se reliquit in magnis, nisi etiam in minimis. Sculptoris ars perfecta non est, cortice spoliare truncum, & deuastare per magna frustra; quilibet hoc faciet: sed postea festucas minutissimas scitè recidere, subtilissimas cavitates euacuare, & minimis manum imponere, solus magister artis potest. In tabulâ umbras & primos colores tyro artis ducere potest; sed ad perfectionem picturæ, subtilitate periti manus & penicilli est opus, & in minimis lineis magnum opus consummatur: ita in minutissimis officiis virtutum absoluitur similitudo Dei. Non est imago perfecta, quæ caput, ventrem & pedes habet; sed in quâ omnia affabrè sunt laborata: cur rudem & informem imaginem vis te Deo præsentare ob defectum minimæ rei?

O infinite & perfectissime Domine, quid minimum possum putare, quod à te me amouere quàm minimum potest, aut magis assimilare? quid minimum reputabo, quod tu desideras me vitare, aut facere? cur minimum præterire possum pro maiestate tuâ & gloriâ, quin faciam, omnia; cum nihil pro vilitate & peccato meo prætermiseris, quod non faceres? O spiritus remisse, si Angelus è cælo tibi nuntiaret quòd Deus vellet te pati tormenta sancti Laurentij pro gloriâ suâ, &

218 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
gratiarum actione ob beneficia à Christo
collata in genus humanum, quàm ingratus
esses, si fortè non haberes id pro magno fa-
uore, & minimum id putares? Ecce, quid di-
ces? non ignes, non equuleos, non carceres,
non cruciatus Deus à te modò exigit; sed vt
attendas in hac re minimâ, & non negligas:
magnum hoc puta: hæc est voluntas Dei, vt
hæc cures; & sufficit. Martyres per magna-
rum pœnarum patientiam sancti habiti sunt:
Confessores, per minimarum culparum im-
patientiam & fugam, sanctitatem conse-
quuntur. Illi pœnas omnes tolerantes, vita-
runt culpas: isti nullas culpas tolerantes, vi-
tant maiores pœnas purgatorij.

CAPVT XV.

Laudem propriam vitandam esse.

Qui amat laudari, vult quid impossibile.
Laus bonum aliquem publicat: sed hoc
ipso quòd laudari velis, non modò vacuus es
omni bono, sed plenus maximo malo, nem-
pe diabolico, superbiâ, & ambitione. Licet
audias laudari; non tu laudaberis, sed alius.
Laus boni est: sed tu pessimus eris, qui laudis
es cupidus. Nequit bonus esse, aut laude di-
gnus, qui tam vanus est, vt laudari quærat.
Quare desinit esse laudabilis, qui vult lauda-
ri;

ri: at si non est laudabilis, non potest fieri, vt laudetur; nam non erit, quod non potuit prius esse. Si arrideas laudatori, applaudis vituperatori tuo verissimo: quia iniustissimus es, siue iustum te putes, siue non: nam si iustum non te æstimas, gaudes quòd mentiatetur ille; si iustum te censes, fatis hoc iniustum est præferri aliis, cum nihil sis. Cum audis, Valdè iustus es, valde bonus es; qui talis est, laudatur: non tu, qui nec iustus, nec bonus es; sed potiùs vituperaris. Laus iusti, vituperium est iniusti. Hoc ipso indignus est laude, & contemnendus, qui de contemptu suo & conuitio dolet, aut in commendatione suâ tumidè afficitur: qui se non putat contemptibilem, excusat contemptores suos.

Laus tua, mendacij filia est, & mater ignorantix, confusionis, pudoris, & periculi: improbatio tua, veritatis filia, & mater meriti & doctrinæ: vtrum præstabit, confundi & falli, an mereri & doceri? Ama solùm laudabilem esse, non laudatum, & fat hoc est. Laudabilis solùm eris, si solùm laudem Dei & gloriam desideres, & tui contemptum. Cur mauis videri bonus quàm esse; cum desinas omnino esse bonus hoc ipso quòd optes videri, & æstimari vanè? Cur æstimas, alios falli, aut fallere, plusquàm æstimare verè te ipsum? Cur te viliozem quàm lapidem facis,
cuius

cuius non tantùm splendorem curas, sed ne adulterinus sit in se, vt pudeat gestare in ornatu gemmas fictitias?

O Veritas laudabilissima, ô gloria rerum, quâ fronte laudem & honorem meum ausus fui semel quærere, qui te toties contempsisti? Quâ fronte semper quæro æstimari, qui licet semel tantùm negligenter tui gloriam procurassem, in æternum mereor contemni? Quàm impudentissimus, vel insaniens esset, qui optaret laudem & honorem eius qui te inhonoravit infligendo alapam, aut te blasphemare dixit, aut arundine te illudit in passione tuâ? Peior sum ego illis, & mentior si vlli eorum me præferam: quomodo de meâ laude & honore audeo cogitare? quanta infania & scelus est quærere illum? imò quanta impudentia, ô spiritus infirme, non te putare dignum omni opprobrio, nec optare contemni ab omnibus?

Non ideò bonus eris, quòd te alij prædicent aut putent bonum. Ægrotus non sanatur, quòd dicatur sanus esse. Quid magis eligeres, esse sanum & robustum, quamuis à reliquis putareris ægrotus? an esse ægrotum, & ab aliis putari & dici sanum? cur eligis, te dici bonum, cum sis pessimus? Imò molestissimum esset ægrotò & dolenti, plusquàm ipse morbus, si reliqui dicerent nullam ægritudinem

nem

nem habere, nullum dolorem, & immeritò queri: cur te gaudes ab aliis probum prædicari, cùm improbus sis? Ægri tam absunt, vt velint se dici sanos, si non sint, vt ipsi interdum soleant exaggerare morbum, & id gaudeant reliquos facere: sic verus humilis exaggerat suam vilitatem, & gaudet quòd alij exaggerent, & augeant contumelias & opprobria: igitur qui amat laudari, dat operam non tantùm rei impossibili, sed ridiculæ.

Iniustus eris, laudes appetens & non opprobria, cùm plura suffragia sint, quæ postulent contemptum tuum. Si libes te, præponderabunt mala tua, & defectus innumerari, paucissimis bonis, & iis alienis. Vis scire palàm, impossibile esse, te laudari? Impossibile est, habere ex te vnde lauderis. Collige exiguitatem humanam, quòd velint æstimari homines ob bona aliena: quæ si propria haberent, numquam gloriarentur de alieno; vt sæculares præsumunt, quòd ingenuos equos habeant, fideles famulos, splendidas vestes, cùm generositas potiùs sit equi virtus, & cum generoso equo possit esse dominus ignobilis & vitiosus. Fides gloria famuli est; & cum bonis seruis iniquissimus herus potest esse. Splendor vestis, laus potiùs sartoris aut textoris est, & tunica decora potest tegere turpissimum pectus & fœdam conscientiam.

Eodem

222 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
Eodem vitio, quod Dei est, sibi tribuunt,
etiam qui sæculo renuntiarunt, dum non se
penitus abnegant.

CAPVT XVI.

De vilitate hominis.

SI cum Deo pacem desideras, super omnes
& omnia te humilia. Deus resistit super-
bis, terribilis vox: non minùs horrible est,
quòd superbus resistat Deo. Deus resistit su-
perbis, ne malè agant: superbus resistit Deo,
ne beneficiat. Deus resistit superbis, ne mali
sint, & pessimi per suam superbiam, quos id-
eò curat humiliare: superbus resistit Deo, ne
bonus sit & beneficus, impediendo dona di-
uina. Evidentissimè conice, te esse vilissi-
mum, hoc est, superbissimum, cùm resistas
Deo: alioqui innumera alia beneficia, gra-
tias, virtutes in te contulisset. Euidens est, su-
pra te nubem eleuatam esse, quæ resistat soli,
si in medio campo & die non te tangat expe-
ditè radius eius: totus tunc in vmbra eris,
quamuis vmbra nullam tunc videas: ne-
mo magis vilis & refertus defectibus, quàm
qui nullam vilitatem aut defectum in se vi-
det, quia supra se elata mens opponatur Deo
& claritati. Nullum est patentius indicium
superbiæ nostræ, quàm cohibitio beneficen-
tiæ

tiæ diuinæ ; quia resistit desiderio Dei ardentissimo se profundendi , infinitæ passioni Christi , intercessioni Virginis , orationibus Sanctorum. Magna est mea malitia , & profundissima miseria , cùm vnus solus tot resistam ; obstruens, quatenus in me est, quinque fontes Sanguinis Christi , & obstans torrenti liberalitatis diuinæ. Licet tam amentes essemus, vt in nobis nullum peccatum nosceremus nec defectum, ex hoc solo indicio nos debemus firmissimè credere superbissimos & vilissimos; nec, si peccata non sufficiunt, aliud magis nos in humilitate continere oporteret : non vermes , in quos ituri sumus ; non cœnum fœtidum, ex quo geniti sumus; non sterco, quo , dum viuimus , referti sumus; non miseræ corporis, quibus ludimur ; non ignorantia animæ , quibus nostro consilio illudimur. Plus quàm satis est ad nos humiliandum infra omnia, videre Deum non magis communicari nobis , & defectus nostros permittere.

O humilis Maiestas Dei, quàm cara & desiderabilis est tibi humilitas nostra ! Mortuus Christus fuit pro peccatis : sed peccata permittit pro humilitate. Anne maioris stetit humilitas hominis , quàm vita Dei ? Anne pluris fecit I E S V S humilitatem nostram, quàm suum redemptionis beneficium ; cùm
peccata,

peccata, pro quibus vitandis vitam & sanguinem fudit, & humiliatus fuit descendens de cælo, permittat, vt vitet superbiam nostram; & qui peccata redemit suâ humilitate & morte, ipsis peccatis nostram humilitatem velut redimit? Quid est hoc ferè incredibile, quòd ferè incredibilia fecerit Deus, vt humiles simus? cùm alioqui incredibile videatur, quòd superbire possimus: nam impossibile est, vt inueniatur vnde.

Nihil nostrum est, & nihil sumus. Imò si multa haberemus, & magnum aliquid effemus; ob ea quæ fecimus, nescio quomodo audemus aspiceræ cælum. Vndique vilissimus sumus, ob id quod sumus, & ob id quod non sumus; ob ea quæ fecimus, & ob ea quæ non fecimus; ob ea quæ fecit Deus pro nobis, & ob ea quæ non fecit in nobis. Et quia ipse tantus est, & quia nos nihil sumus; quis non ob peccata, quæ fecit, se humiliabit? Sed non minùs deiici debet ob peccata quæ non fecit: nam nullam ex nobis partem in hoc habemus, & minùs nostrum est non peccasse; & quantum ex nobis est, peccaremus. Ita debes maiorem obligationem Deo, cui non respondes, & parem rationem humiliandi, ac si peccasses. Res non debent æstimari ob exercitium, sed ob virtutem. Non magis venditur gladius; qui occidit multos, quàm
qui

qui potuit plures occidere, & melius trucidare: tua malitia tot illa peccata patraret; quòd non fecerit, non est in te, sed in Deo. Æquè etiam te debent humilem tenere peccata aliena, vt tua: nam licet commisisse propria, non sit supra te; non commisisse aliena, est gratia Dei, quæ est super omnem naturam, & maiores gratias Deo debes; quia maius est, Deum præseruasse ab illis; quàm remisisse: quare si non es reus pœnæ, es reus maioris gratitudinis, & humiliationis. Quæcumque peccata audieris ab aliis patrata, statim te reum illorum cense. Maior occasio se humiliandi fuit beatissimæ Virgini, esse præseruatam à peccatis; quàm Magdalenæ, fecisse tot & tanta remissa, & ipsam septem dæmoniis fuisse liberatam. Ob bona etiam quæ non fecimus propter negligentiam nostram, debemus humiliari, & etiam ob bona quæ fecimus: nam illud nostrum est, hoc Dei. De alieno nemo gloriari iustè potest, sed pudere ob ingratitudinem, & satagere ex obligatione. Ipsa prætereà bona corrumpimus, & malè facimus, & exigua & pauca sunt.

Sed quis cogitans, quæ humilis IESV pro nobis fecisti, audebit se extollere de factis suis? Confer, ô ingratus spiritus, leue & ridiculum opus tuum, ob quod gloriâ inani sollicitaris, cum infinito opere Incarnationis,

P

Eucha-

Eucharistiæ & Passionis : nōne præ verecundiâ tibi frons decidet ? Deus , qui est totum , se exinaniuit pro te : & tu , qui es nihil , te putas aliquid contra Deum , cū pro Deo tam amanti & feruenti nihil facias feruidè . Quis cogitans , quæ non fecit Deus , non se humiliet , quòd non te ad inferos detruserit post primum peccatum , vt fecit cum Angelis ?

O homo , infamia creaturarum , quid tuum putas honorabile , & vsurpas , & non potiùs statim offers Deo , cui tot beneficiis obnoxius es ? Si multa , quæ verè nostra essent , haberemus ; deberemus offerre & tribuere Deo , ob ea quæ pro nobis fecit : quomodo tam amentes , ingrati , & iniusti sumus , vt ea , quæ sunt Dei , faciamus nostra ; quæ etsi vere nostra facere potuissemus , intolerabilis inuerecundia fuisset non fecisse potiùs Dei . Quid mirum , si aliqua Deo dares , cū omnia & se ipse dederit tibi ? Vtinam haberes multum , vt offerres Deo ! sed cū non habeas , plus gaude ; & de paupertate tuâ gloriare , quia omnia vides Dei esse : quæ si tua fuissent , illi dares : gaude , votum tuum esse naturam eius .

Pudendum magis est , quòd interdum gloriamur de malefactis velut bonis : & corrupta opera Deo obiicimus , quasi qui obligauerimus

gauerimus eum. Quæ insania maior, quàm putare obligare cui soluere nequis, & iis rebus quibus magis ad pœnam obligaris? Quin si bonum aliquod opus esset integrum & perfectum, non est à te: nec proinde tuum dicere debes: de alienis quomodo Dominum potes obligare, & creditori soluere? Imò si nostrum fuisset bonum opus, in quo Deus partem non haberet; cur Deo satisfacisse putas in illo, & ostentas illud, cum eadem mensurâ, quâ mensus fueris, remetietur tibi? Si hoc cum hominibus seruandum, cur non cum Deo? Miserè metiris dona Dei: tam parum putas fecisse Deum pro te, vt paruulo hoc obsequio putes satis compensati? Metiamur Deum magnâ mensurâ, existimemus illum magnum, nec nostra obsequia posse æqua esse eius humilitati, & passioni, ne dicam eius Maiestati & beneficentiæ.

Qui non putat se parum seu nihil facere, iniuriâ Deum afficit, æstimans illum dignum dumtaxat paucis. Disce à Deo humilitatem, qui post omnia beneficia in te collata nihil fecisse reputat; perinde tecum se gerens, & remunerans tua merita, quæ sine illo non faceres, ac si ipse nihil in illis posuisset: cur tu ita vsurpabis obsequia, & bona opera, ac si solus fecisses, & nullam partem Deus haberet, cum totum ille præcipuè faciat? Cur

item potes te iactare meliorem aliis , cum contristari deberes potius quod alij minus bonitatis haberent , & id computare deesse tibi ? Non est multa claritas Dei in te , nec charitas , si attendere potes excellentiam tuam potius quam tuum nihil. Stellæ cum remotiores sunt à sole , cum minus lucis habent , vna videtur aliam excedere , & tunc lucent ; sed hoc fit , quia nox est , & tenebræ : at cum dies venit , & propinquiores sunt soli , quia sunt in eodem hemisphærio cum illo , tunc quamuis vna excedat aliam , & plus lucis participent , non videtur vtra luceat magis , imò nulla videtur lucere ; perinde sunt , ac si nulla stella in cælo esset & merè nihilum. Imperfectus est , & non illuminatus , cui parua lux cæli affulget. Qui in nocte propriæ quæstionis & amoris est , audet putare se esse aliquid , & meliorem aliis : Sancti verò qui adhærent Deo , licet pleni meritis sint , putant se excellere nemini , sed merè nihil esse , adimplentes cum IESV suo omnem iustitiam , id est humilitatem. Iustus est humilis , quia à se reiicit totum quod est alienum , nec retinere vult. Qui nihil putat se esse , quomodo contra conscientiam fiet iniustus tum aliis , dum se præsumit meliorem , tum Deo , dum credit se bonum ? Nam nemo bonus , nisi vnus Deus : si nemo bonus , nemo melior.

Ob

Ob fortunæ quoque bona non est cur te præferas iis, quos pauperes vides, humiles, ignobiles: sed potiùs venerare istos ob similitudinem Christi in illis splendentem. Inops fuit IESVS, humilis, à Iudæis maledictus, inglorius, subiectus pessimis Principibus: quod Christus elegit, & æstimavit, tu ne contempnas.

CAPVT XVII.

*Quæ contineant hominem in humilitate,
& quòd nihil potest habere, nisi
solum Deum.*

DVo te possunt humilem continere, & vilitas tua, & vilitas rerum & honorum. Licet magnus esses, dignitates omnes mundi, vt paruas, viles, & indignas contemnere deberes; & quamuis magnæ essent, deberes recusare, quia tu vilis, indignus. Nihil es nisi mendacium & peccatum: ne te decipias, nec velis excusari; iniquitates tuæ id clamabunt. Cur inter tot peccata ob vnum opus apparenter bonum te attollis? vnâ solâ plumâ aquila non se in sublime efferret. Pavo cum totus pulcher sit, ob vnum pedum defectum se humiliat: tu totus defectibus plenus, ob vnam fictam virtutem superbire audes. Recordare infamem te esse ab ortu tuo originali culpâ:

perinde vt homo notatus infamiâ coram nobilibus adest, sic te habe coram Angelis puris. Parricida es ob peccata tua Filij Dei, & fratris tui I E S V: pessimo Cain concidit vultus, & tu erigis ceruicem? Reputa te semper talem, nec audeas sine pudore & timore aspicere Patrem dilectissimum.

Qui contempsisti Verbum Dei & Filium; cur æltimas dictum hominis? Quid præsumis, cum nihil hactenus feceris; cum postquam feceris omnia, eris seruus inutilis? Imò hic est magnus & indebitus titulus, cum non possis habere vnde Deo seruias, cum eius sint omnia, & ipse seruiat potiùs nobis. Tam vilis & pauper es, vt nihil habeas, nec possis habere: quod fortè si intelligas, primùm tristaberis, intuens luce clariùs paupertatem tuam, desperans aliquid tuum habere posse; sed citò ingentem lætitiã habebis, intuens diuitias Dei, quòd omnia habeat. Gaudeo, Domine, impossibile esse mihi habere aliquid, quia impossibile tibi est nõ habere omnia. Quid contristor omnia aliena mihi esse, si Deus potest meus esse? Quàm ineffabile gaudium est, nihil posse esse meum, nec me ipsum, nisi solum Deum! cuius patens indicium est, quod nullã re licitum sit mihi frui, nisi solo Deo. Reliquis rebus, & me ipso, vt alienis, solum licet vtì, non frui. Non est dominus rei, cui
solum

solùm vsus est concessus ad tempus : illa potiùs res haberi dicitur , quàm frui in æternum licet. Qui mundi solum habet vsum , habebit vsum fructum Domini ipsius mundi.

Gratulor mihi , nihil ex me habere , quod possim , Domine , offerre Maiestati tuæ : quid enim valeret quod ex me haberem , vt coram te compareret ? At quia à te sunt , quæ possum offerre , aliquid bonum habebunt , quòd sint à te , & inde possunt placere. Ex me quomodo possum habere aliquid , cùm nihil sim ? imò hoc ipso quòd putas aliquid esse , ô spiritus elate , conice te minorem esse , & magis vilem. Æger dum adhuc ægrotat in lecto , non sentit imbecillitatem suam : at dum meliùs se habet , & conualescens surgit , tunc cognoscit debilitatem , cùm non possit per se consistere. Dum magis seruis Deo , proficis & ambulas in viâ Domini , magis humilis debes esse , & timere ; tunc te cognosces viliorrem. Æger dum est in lecto , non est cur timeat ne cadat : at dum surgit , & incipit ambulare , tunc noscens infirmitatem propriam , non de se confidit , sed alij connititur & adiuuatur , timens cadere.

Quid igitur extolleris , cùm , hoc ipso quod extolleris , vilior sis. Quodammodò magis es ridiculus , quàm Luciter , cùm de minoribus te efferas. Quid est natura tua comparata

cum naturâ Cherubim? Quid est sanctitas tua, collata cum sanctitate gratiæ quâ placuit Deo primus ille Angelus? Quid videri vis & haberi apud alios? nihil potes tuum habere, & quod minus potes habere, est honos. Tota gloria solius est Dei, qui cum cetera det hominibus, gloriam suam alteri non dabit. Si benè operaris, fat est quòd sciat Deus, videat & approbet, qui remuneraturus est, & cui placere intendis. Sanè si ardentè amares Deum, & seruus fidus esses; optares, nisi impossibile foret, facere aliquid pro Deo, quod Deus non esset remuneraturus, aut non videret; & dumtaxat studeres esse fidelis illi, de præmio nihil curans. Inter fideles amicos vnus alteri prospicit, & bona officia præstat, etiam si alter non sciat, imò sæpè occultat: nam non quærit aliam mercedem, quàm fidelitatem & obsequium erga amatum: sic qui sincerè amat Deum, non aliam remunerationem magis desiderat, quàm seruire illi, & seruare fidem. Imiter, Domine, fidelitatem tuam erga me perfidum, qui innumera mihi officia præstas, beneficia confers mihi ignaro, & cum scias me numquam agere gratias pro illis. Cum mala agunt homines, cupiunt vt tu non videres: ego, Domine, iam resipiscere volo, & mutare meos mores. Quare cum mala egero, quod frequenter erit, vo-

lo vt

lo vt tu videas, vt castiges & me adiuues, ne iterum faciam: at cum bona egero, te adiuuante, potius vellem vt tu non videres, quam quod videant homines. Si eximius Dei amator non agit bona propter testimonium Dei; quam mendaciter amabit, qui quaerit homines testes?

CAPVT XVIII.

Quantum debeamus gratiae Dei & Christi.

Superbus adhuc eris, si te putes puluerem & cinerem, cum nihil sis, nisi mendacium & peccatum. Nihil boni habes; cur extolleris contra Deum? multa mala habes; cur non erubescis etiam coram hominibus? Omnia mala habere potes; cur non contremiscis vbi que & semper? Omnia mala facere potes; cur non formidas te? Ipsa essentia tui non est tua, nisi Dei. Imò id quod habebas, antequam esses, tuum non erat: habebas tunc merum nihilum quod poterat esse; hoc ipsum non ex te habebas, sed ex Deo: qui si non esset, tu non posses esse. Quid te magnum putas, cum ipsum quod nihil eras antequam creareris, non erat ex te? idem plusquam te debes Deo; nam debes etiam, cum nihil eras, posse esse.

Creatus fuisti: dic, quod membrum arbi-

trio tuo fuit factum, aut cui articulo alicuius digiti lutum posuisti, aut ministrasti materiam ad eum formandum; aut quâ prece tuâ impetraſti creari à Deo, & eligi inter infinitas naturas & indiuidua meliora, quæ in ſuo nihilo relicta ſunt? Quâ diligentia tuâ effeciſti, ne formareris cæcus, mutilus, amens, barbarus? Gloriaris de ingenio, de integritate corporis, de nobilitate generis? utique id licet, ſi monitus Deus à te id fecit. Dices: Non gloriſ me creatum eſſe, ſed talem eſſe, induſtrium, ingenioſum; morigerum. Dic quaſo, ſi conſilium non dedidiſti Deo, ut te crearet, an conſuluisti ut te crearet ingenioſum & talem? Si non monuiſti Deum, ut tibi daret meliorem mentem; cur gloriaris de ſublimitate illius? An tu elegiſti mentem, & aſtutiâ tuâ ſcrutinia feciſti inter illam, infinitarum rerum multitudinem quæ creari poſſent, ut extraheres animum præſtantioſorem? Non, inquires, gloriſ de naturæ dotibus, ſed de officiis virtutis, quam ſecutus ſum, cum alij peſſimi contemnant. gloriſ meliorem me illis eſſe, & virum bonum, gloriſ fatiſfecisse muneri meo. Imò pudeat vix ſemel fatiſfecisse, & millies corrupiſſe. O inique diſtributor, deterioſrem partem tribuiſti Deo. Te eſſe tribuiſti Deo, & arrogas tibi bonum eſſe: plus eſt bonum eſſe, quàm eſſe: cur il-
lud

lud tibi vsurpas, cum in eo quod est minus, nullam potueris partem ponere? Plus distat inter bonum esse, & hominem esse, quam inter hominem & nihilum. Ex nihilo te potuit Deus facere hominem, imperando, agendo, & viuendo; sed ex homine non fecit bonum, nisi seruiendo, patiando, & moriendo. In- iustissimè partiris, tribuens Deo naturam, & tibi gratiam.

Neminem vidi superbire, ex eo quod sit; & ferè omnes, quod boni & meliores sint; cum potius liceret arrogantia illa: nam plus habuisses (si habuisses aliquid) cum nihil eras, vt esses; quam postquam fuisti, vt esses bonus & iustus: nam ad creationem, solùm non adiuuimus; sed ad iustificationem in- super impediuimus. O patientissima Veritas Dei, quomodo toleras mendacem arrogan- tiam nostram, nisi quod ridicula sit, dum eius rei auctores nos præsumimus, cui maximè resistimus & destruimus? Si tam modesti su- mus contra ea quæ sunt in suo nihilo relicta, vt aduersus illa non gloriemur, quod simus: cur inuerecundi aduersus Deum gloriabi- mur, quod boni simus; & aduersus alios ho- mines, quod meliores simus? Cur superbis, ô anima, de eo, in quo maximè verecundari deberes? Quod nihil fuisti, nihil est quod pudeas; sufficit non superbias; non est enim
vlla

vlla ignominia : at quòd impedimento fuisti Deo peccatis tuis , multum abundat , vt profundissimâ confusione erubescas.

A quo accepisti esse , accipies benè esse. Quemadmodum nihil fuisti , vt esses : ita creatus , nihil fuisti vt esses bonus. Si nihil ad naturam , ita nihil ad gratiam , ex te ipso solum , & à te ipso habes. Imò licet nihil fecisti vt esses , nihil malefecisti ne esses : at vt esses bonus , nihil ex te fecisti ; & ne esses bonus , multa malefecisti.

Natura humana , etiamsi illâ integritate & excellentiâ , in quâ creata est , maneret , non seruaret se ex se , nisi ex Deo. Quare si gratiam , quam accepit , non posset ex se seruare ; quomodo quam perdidit , poterit reparare , & de acquisitione gloriari ? Memento infamiæ & corruptionis naturæ nostræ post peccatum : si cum sana & honorabilis erat , nihil ex se poterat ; languens & contemptibilis quid poterit ? Vas non gloriatur ante artificem de formâ & vsu , cum posset de materiâ , quam non fecit ille : tu ante Deum nihil habes , quòd glorieris , adhuc ex nihilo factus ; cur de formâ & bono vsu gloriaris , qui de abusu erubescere potes , & de materia nequis gloriari , quia ex nihilo es ? Non habes vnde bonum aliquid habeas , quia ex nihilo nihil fit , vt ex causâ. Si nihil ex te es , nihil ex te
potes,

potes, nihil ex te operaberis: nam operari sequitur esse. Si nihil ex te es, nihil potes, nihil operaris; quantum minus aliquid bonum? Si quod nihil ex se est, nihil ex se habet, aut potest; solum ex se potest, & habebit peccatum, quod defectus & nihil est, & nihilo ipso deterius & minus. Oculus ex se potens est ad tenebras, & ad non videndum; sed ad visionem nihil potest sine adiutorio lucis.

Quod est supra naturam, & supra te, nempe abnegare ipsam naturam, & te ipsum; non potest esse ex te, & naturâ, sed à Deo, qui est superior te & naturâ. Si non credis rationi, crede fidei; nihil es nisi mendacium & peccatum: perditio tua ex te tantummodo. Non idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Si non possumus cogitare aliquid, quomodo exequi bona opera? Ferri potest, quod videaris stultus; sed non suaderi possum, quod velis esse hæreticus: quæso cur despicias mundum, & aliquem æternorum amorem iam habes? quia expertus es inconstantiam temporalium, & vidisti inopinabiles calamitates, & mortes locupletum & potentum, & similia; an tu fuisti qui ita prouidisti res, vel Deus? an prouidisti Regis illius aut potentis hominis mortem, ut tu commouereris perspectâ instabilitate rerum? Præterea hæc eadem
publica

publica & nota aliis sunt : cur ceteri non vt tu commouentur ad contemptum mundi ? cur cum alius est motus, alius in peccatis persistit ? Aliquam simul causam diuinam huius differentiaē debes fateri, quæ solūm in nobis & ex nobis non sit. Forsitan perinde quasi ex te esset, gloriaris quod tu mouearis, non alij. Dic quæso, quoties similes casus, & efficaciores contigerunt, & non commotus fuisti ? Igitur, quod modò conuertaris, non venit solūm ex te, sed ab arcanâ aliquâ & prouidâ virtute, sollicitudine & amore eius qui noluit, vt ampliùs morareris in tuo errore, & ad agnitionem veritatis suauiter te excitauit ; & taliter disposuit omnia, vt nouerat te inde commouendum. Respondebis, ideò nunc te commotum esse, non antea, quia abfuit, aut mortuus fuit pessimus amicus, cuius societate pertrahebaris ad verustos & pssimos mores, aut præterit occasio peccato opportuna. An forte ex hoc præsumes ? Fuitne in manu tuâ mors vel absentia iniqui socij, vel opportunitas hæc ? anne potiùs Deus fuit qui ita disposuit, & insuper præparauit tibi bonorum societatem & exemplum, vt eius imitatione promoueris.

Similiter quidquid boni habes & facis, aut si quo malo cares & abstines, est quia Deus pro tuâ utilitate res disponens impedimenta remouit,

remouit, & incitamenta boni opportunè proposuit; & insuper ad plurima supernaturales habitus aut auxilia infudit, quæ excedunt omnem facultatem naturæ. Quam partem ad hæc tu habes? si non inuenis; quanta insolentia est tibi tribuere totum? Aut gratiam Dei debes agnoscere & nihilitatem tuam, aut Deum cum epicuro relegare, & priuare mundi gubernatione, nullam illi prouidentiam tui relinquendo. O sapientissima Dei Veritas, miserere, miserere mei amen- tissimi; qui magis & magis delirabo, quàm ille Philosophus, numquam tantoperè ineptiens ut diceret se prouidere res, nam faceret se meliorem Deo: verùm qui præsumit de se in opere honesto, præterquam quod Deo tollit prouidentiam rerum, sibi est necesse ut illam usurpet; quoniam si aliter occurrerent res, non opus honestum, sed vitiosum faceret: & licet casu aut fato res acciderent, non esset cur sibi aliquid attribueret?

Qui in bono naturæ sibi plaudit solùm, negat se à Deo creatum: at qui in bono virtutis gloriatur, negat omnem mundum, & vniuersas res à Deo creatas, dispositas, prouisas in bonum nostrum: in illo adimit Deo dominium vnius dumtaxat naturæ, suæ nimirum; in hoc adimit dominium totius vniuersi: in illo adimit omnipotentiam Deo; in hoc

hoc etiam sapientiam & bonitatem, negans sapientissime ita prouisum à beneuolo & amantissimo Patre pro nostrâ salute & bono. Quid dicam in iis virtutibus quæ super omnem naturam sunt, & in altissimo ordine proportionem quamdam cum Deo habent, & velut in gradu diuino Deos, vt sic dicam, nos faciunt, aut supponunt per participationem altissimam naturæ diuinæ; & in iis quæ Deum proximè contingunt, fide, spe, charitate? de quibus si quis præsumat, opus est vt neget Deum esse superiorem naturæ, aut ex se putet se esse æqualem vel superiorem Deo.

CAPVT XIX.

Quòd se debeat homo non tantùm sentire nihil esse, sed maximum peccatorem.

Magna portio humilitatis deest tibi, si putes solùm nihil boni ex te habere; oportet vt iudices etiam pessimum te esse. Primum peccatorum se dixit sanctus Paulus; nec potuit mentiri os illud Spiritus sancti: an tu fortasse meliorem te putabis tanto Apostolo; & esse exaggerationem aut modestiam, te appellare maximum sceleratorum? Serio te iudica primum inter peccatores, & vltimam creaturarum, quia nulli te debes præ-

præferre. Nullus minus quàm tu habuit, vt
 misericordiam Dei flecteret: ne putes esse
 modestiam sentire hoc; nam nihil tui bonum
 præcessisse, est fides diuina. Non est funda-
 mentum vt alium putes fore minus gratum,
 semel adhuc consecutum misericordiam, &
 beneficia Dei, quibus tecum est vsus: nec
 tam temerè de alio iudicare licet, qui ferè
 debes censere impossibilem esse maiorem in-
 gratitudinem, quàm in te patentissimè
 agnoscis. Si verè doleres de peccatis, id ferò
 putares. Qui acutissimo dolore torquetur,
 non putat similem alium dolorem esse, nec
 putat alios ita cruciari: affectio ad se inclinat
 iudicium. Si aliquis amor humilitatis esset,
 facilè iudicares te omnium pessimum. Su-
 perbus meliorem omnibus se præsumit, ex
 amore exaltationis; & quia aliorum emi-
 nentias non considerat, sed defectus: tu si
 humilis esses, peiorem cunctis te putares;
 tuos defectus videres, non alienos, nisi solas
 virtutes.

O Maiestas summæ Veritatis, quid opus
 est interpretatione? fateor coram Angelis
 tuis, hominibus, & spiritibus malignis, sine
 vllâ tergiuersatione, me esse omnium crea-
 turarum viliorem. Dignitas moralis rationa-
 lis creaturæ, quæ est verè eius laus, pretium,
 & valor, constat ex cognitione & aduertenti-

Q tia

242 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
tiâ obligationis suæ, & operatione iuxta il-
lam: hæc in nemine maiori sunt vitiata abu-
su, quàm in me. Licet plures viri sancti maio-
rem lucem habuerint, & aliqui homines in
numero exteriorum peccatorum re ipsâ for-
tè excessissent; sed hæc copula, plus peccas-
se, & neglexisse maiores obligationes suas,
cum cognitione illarum, admonitione con-
scientiæ, & inspirationibus cæli, in nullo, vt
in me, inuenitur. Si aliquis plura quàm ego
peccata forsan fecerit, minores inspirationes
accepit, & obligationes pauciores habuit: si
aliquis magis admonitus & obligatus à Deo
fuit, minùs peccauit, & magis respondit: si
fortè, quod non possum credere, aliqua crea-
tura fuit, quæ plus peccauerit, & maiorem
cognitionem officij sui habuerit, adhuc non
puto eam deteriorem me fore; quia non est
cognitura, nec habitura maiores obligatio-
nes: & quamuis alius maiores obligationes
haberet re ipsâ, ego id non puto: officia au-
tem virtutis ex conscientiâ ponderanda sunt;
cumque ego putem me plus omnibus teneri
ad seruiendum Deo, & minùs seruiam, om-
nium ingratiſſimus & vilissimus ero. Anti-
christi peccata licet excessissent numero, non
excedet eius cognitio, illustratio, & obliga-
tio: nam non toties remissionem peccato-
rum consequetur, vt ego, nec tam efficacibus
&

& instantibus beneficiis & inspirationibus sollicitabitur, nec ab occasionibus peccandi præseruabitur. Lucifer licet maiorem à Deo lucem habuerit, non nisi propter vnicum peccatum damnatus fuit; nec habuit obligationes quas ego: non pro illo factus est Filius Dei Angelus, non fudit sanguinem suum. Iudam quoque necdum Christus obligauerat, vt obligauit me; nondum mortuus erat. O humilis & mitis immensitas Dei, quomodo me toleras, quia non confundor & absorbeor in profunditate ignominie meæ! Ne quaeso alicui me præferam, cum non inueniam fundamentum ad suspicandum alium esse deteriorem.

Maioris peccatoris scelera numero finita sunt: quomodo ego non illi subiior, qui in infinitum peccare possum, & efficaciam in me habeo, vt totum mundum inficiam? Nam iniquissimus sum post tot beneficia, excessum Dei amoris, inspirationes diuinas: quid si Deus meam malitiam non cohibuisset suâ gratiâ in me & in aliis? Singulis peccatis aptior factus sum in dies, vt peius corrumperem me, & vniuersos. Si vnum peccatum Adami tot infecit innocentes posteros, si vnum peccatum Achan totum Israël reum fecit vindictæ diuinæ; quid facient mihi peccatori infinita scelera? Nescio, spiritus infirme,

Q²

me,

me, quomodo non deficis, considerans exiguitatem tuam, & deinde magnam multitudinem culparum tuarum, si componas hæc cum immensitate Dei, cum multitudine beneficiorum eius, cum magnitudine operum redemptionis Christi, cum indicibili dilectione & fidelitate eius erga te; præ quâ parua videbuntur opera stupenda quæ pro te fecit, & à quâ solùm quasi coactus est illa facere. Sed adhuc nihil est, quidquid de vilitate & infamiâ tuâ comprehendi potest, & longè infra rei veritatem manet: imò puta nihil; nam in infinitum viliores te inuenires, si à Deo illustrareris. O pretiosissima Veritas, si ita est, quomodo non me despicio, dedignor, aspernor, vt nesciam quid de me cogitare & facere possim? Miror me non studere reuereri plus Deum, stupeo non magis me contemni desiderare.

Vnum solum delictum, eum qui committit, facit infamem, etiam apud homines peccatores, qui nesciunt penetrare malitiam peccati, nec odium dignum illius habent: quomodo tot mea peccata & negligentia coram sanctitate Dei, Angelis puris, & Beatis gloriosis, me deformabunt, & dehonestabunt? nam licet sperem plura dimissa esse per misericordiam Dei; quod semel fui, ex me semper sum, nec magis ex me ero. Si semel

mel in me fuit, vnde vilem semel me putarem; cur non semper? nam ex me nunquam plus boni habeo: potius pudor debet crescere, & humilitas de peccatis præteritis, quò magis acceperim. Misericordias diuinas, cum experiëntiã didicerim, me contempsisse tam bonum erga me Dominum, & modò ingratum permanere. O spiritus vilissime, quomodo cum tantã ingratitudine non te putas indignum omni gratiã Dei? quomodo audes vllam gratiam petere? quomodo, si tibi à Deo vltro concessa est sine postulatione tuã, non contremiscis, vt ferè dubites quid melius foret carere Dei dono, quàm exponi iterum periculo abutendi quod toties contempsisti? Sed in spe, Domine, misericordiã tuã, volo esse audax & temerarius, imò importunus toti Curie cælesti, ostentans vilitatem & vlcera mea; nec cessabo clamare ad omnes & singulos Beatos, donec molestissimus sim, & saltem propter improbitatem, cum alium titulum bonum ex me non habeam, consequar maiorem gratiam & misericordiam IESU, ne me deserat, quòd deseram gratias eius.

CAPVT XX.

Quid sit, nihilum se dicere & maximum peccatorem.

ALios seduces, dicendo te nihil esse, & maximum peccatorum, si non sentias; sed te decipies, si id sentias, & non conformiter opereris, & consequenter te tractes & habeas. Quid putas est, nihilum esse? perinde nihil de te sollicitari, vt gloriam Dei quæras, ac sollicitaris de iis, quæ non sunt de relinquendo se penitus, & exinaniendo in omni patientiâ. An fortè impatiens esses contra eum qui aërem verberaret, aut iracundus aduersus illum, qui extra mundum in vacuo spatij imaginarij positus, in nihilum illud inane ictus mitteret & obiurgaret? Sic tu, si nihilum te putas, & vacuus tui es; in quantum potes, non debes commoueri ob quascunque iniurias: alioqui iam aliquid te esse æstimabis. Tuam reputationem & commoditatem quærere, cùm te dicas nihil esse, perinde erit ridiculum & otiosum, ac si nimium anxius esses, quomodo honoraretur & fortunaretur homo qui nondum creatus est, nec esset creandus. Quare ita debes affici erga te & tua, ac si non esses creatus.

At dum te nihil verè & seriò æstimas, mirificè

rificè te purgabis, ad munera Dei & ipsum Deum sine impedimento suscipiendum. Natura non suffert vacuum; nec Deus patitur manere humilem vacuum, quin statim ipse impleat. Deus vt fieret homo, exinaniuit se: nõne vt homo fiat Deus, vnus spiritus cum Deo, debet exinaniri? Exinanitio tui erit, te semper æstimare & curare tua, ac si merum nihil esses, nullam circa te cogitationem insultare, quæ sapiat aliquid tui, & terrenum; denudare te prauis affectibus & habitibus, vt nihil tui habeas, velut si recens à Deo creatus esses è nihilo. Deus se exinaniuit pro te, gerendo se ac si non esset; tuam salutem dumtaxat curans, velut si tu esses: tu ita cura diuina, quoad possis, quasi Deus esses. Debes exinaniri summo modo, & distare à te ferè infinito modo, plusquàm si non esses: quod fiet, si fias aliud per gratiam & amorem, transiens à te ad Deum, qui infinitè distat à nihilo, & ab omni essentiâ. Duæ sunt gloriæ diuinæ voluntatis, amor & potentia: sed potentior videtur quodammodò amor, quàm ipsa omnipotentia, quæ te potest reducere in nihilum, non verò quomodolibet te facere vt sis aliud, neque vt natura hominis sit natura Angeli; in quo magis distares à te, quàm si fieres nihilum: sed amatus à Deo, & redamans Deum, absumpto omni affectu proprio,

Q 4

prio,

prio, humiliatâ voluntate suâ & annihilatâ, velut fit Deus indutus beneplacito diuino; nam licet in suâ essentiâ maneat, non manet in affectu erga se, sed conformis voluntati Dei; tam longinquus à se dissidens, ac si aliud esset. Homines non capiunt dolorem de alienis vulneribus, nec sentiunt contumeliam de conuitiis coniectis in alios: sic erga te, velut alienum, quædā possis, pro gloriâ diuinâ, non afficiaris ægrè tuâ contemptione.

Tum si te putas maximum peccatorem, consequenter omnia aduersa & infortunia, quæ aliis etiam accidunt, debes credere fuisse ob tua peccata & negligentias. Quidquid afflictionis Deus immittit, est pro peccatis in pœnam illorum & remedium; atque in hac vitâ, aliorum peccata in aliis quoque curat & punit. Igitur pro culpis meis, cum sim maximus peccatorum, omnia mala accident: cum pro peccatis accidant, cur pro peccatis aliorum, & non pro illis quæ sunt iniquioris? Prælia, pestes, fames, pœnæ sunt meorum scelerum, & remedia: omnia sunt beneficia mea, & supplicia mea: in cunctis exercetur circa me misericordia diuina atque iustitia: vbique pro me iustitia & pax osculatæ sunt, misericordia & veritas obuauerunt sibi; vt vbique, Domine, & in omnibus te timeam, amem, confundar de meâ malitiâ, & sperem de

de tuâ bonitate. Non miror tot calamitatibus affligi mundum, siquidem me alit: ego velut Ionas sum causa huius naufragij, & ærumnæ multorum. Propter vnum peccatum Achan percussus fuit populus Dei innocens: peior sum ego; cur non præsumam propter me affligi multos innocentes communibus plagis? Ego anathema in medio tui sum, Israël; ego sufficio prophanare mundum. Ego tam impudens sum, vt cum sim maior peccator omnium, non faciam maiorem omnium satisfactionem pro me, & pro aliis quos audio affligi, cum eorum ærumnæ me credam esse causam. Omnibus iniuriam feci meis peccatis, omnibus debitor sum, & omnium pœnarum & humiliationis reus.

CAPVT XXI.

Gloria Dei querenda est semper.

Multum debes gloriæ Dei; ius est vt illi sis gratus, & studiosus. Gloriæ Dei debemus nostram essentiam, nostram redemptionem, nostram beatitudinem, & omne bonum. Propter gloriam suam omnia operatus est Deus: propter quam ita benefecit nobis & studuit, ius est vt illi solùm studeamus. O Deus Maiestatis, in omnibus rebus honorem nostrum curas: nonne ius est, vt honorem

Q

rem

rem tuum in omnibus quærat homo? Tu honorasti hominem creando, volens illum super omnes alias creaturas manibus tuis ipsis formare: nec contentus fuisti creare illum, ut cælos & reliquas creaturas, iubendo, sed velut laborando id voluisti facere, obsequiosus homini antequàm fuisset. Honorasti hominem prouidendo, præparans illi magnificam domum huius mundi, subiiciens illi omnes creaturas, ut ei seruirent. Honorasti hominem conseruando, assignans illi custodem Angelum, excellentissimam creaturam, quæ te vidit facie ad faciem, tuâque beatitudine fruitur; ut omnimodò nos honorares, eligens ad custodiam nostram non tantum illum qui naturæ & gratiæ, sed etiam qui gloriæ dotibus honorabilis est. Honorasti hominem redimendo, extollens humanam naturam ad consortium gloriæ, & throni tui. Honorasti illum retribuendo, concedens pro leuibus & momentaneis laboribus non minorem palmam quàm Regnum tuum, & honorem domus tuæ. In cunctis maiori hominum gloriæ studes.

Pudeat te, spiritus ingratus, non quærere maiorem Dei tui gloriam. Gloriam eius quærere contemptione tuâ: exaltabitur Deus in te, quò magis humiliaberis. Deus & homo se habent, ut quantitates continua & discreta.

Numerus

Numerus in infinitum augeri potest; lignum in infinitum minui: quò magis diminuitur & deciditur à ligno, magis augmentatur numerus: quò magis te viliores existimes, maiorem Deum cognosces. Dei cognitio potest augeri in infinitum: tui aspernatio & notitia indignitatis potest in infinitum crescere; quia in infinitum despicabilis es. Occupa te in ignominia tua, & quo modo sis lutum & cinis: ita videbis gloriam Dei, ad quam factus es. Inutilius in aliis subtilitatibus tempus consumes, quæ impediunt potius notitiam Dei. Experimenta mirabili compertum est, quòd vas occupatum & plenum cinere, eodem modo tantumdem aquæ capiat, ac si nihil contineret; cum tamen, si qualibet alia re sit occupatum, eo minus excipiet aquam, ad quam suscipiendam factum est. Notitia tui non impedit notitiam Dei: rectè utraque coheret, altera alteram imbibit, ut cinis & aqua. Videndo ignominiam tuam, vestigabis gloriam Dei, ad quam creatus es, nec audebis usurpare. Arbor simul mittit deorsum radices, & sursum ramos; eatenus in sublime erigitur, quatenus profundius serpit: eleuabitur mens tua, si te depresseris. Vis palam scire laudem & gloriam non esse rem tuam, nec ad te pertinere? Considera quòd nihil in te ponat nec perficiat laus, etiam si mendicus

& imperfectus sis : magis eges remedio , quo perficiaris , quàm quo prædiceris , dum manes miser & egenus. Solùm igitur laus & gloria est eius , qui nullius rei eget : eo ipso quòd laus ei cui exhibetur nihil prodest , conicitur debere dari ei qui nihilo indiget. Da gloriam ei cui nihil potest esse vtile ; & vtilissimum erit tibi. Deus omnem vtilitatem tibi quærit , nullam sibi : tu omnem honorem Deo desidera , nullum tibi. Quemadmodum Deo nulla res est vtilis , ita tui nullus est honos , qui quæri à te possit. Dei sit tota gloria operum tuorum , quemadmodum tota vtilitas diuinorum operum tua est. Gloria Dei & vtilitas hominis sorores sunt , & amplexantur se inuicem. Nihil Deus facit ad gloriam suam , quod non sit etiã ad vtilitatem humanam. Non est amens Deus , qui operetur inconsultè sine fine ; non est vanus , qui operetur inutiliter sine commodo : summè perfectus est , summè bonus est. Ob perfectionem suam nullius rei indiget ; ideò solùm restat vt operetur propter gloriam suam & laudem à creaturis exhibendam , quæ est res extrinseca : ob bonitatem verò suam omnia vtiliter facit ; sed quia nullâ re caret , omnis vtilitas est creaturarum. Sicut nihil potest facere contra honorem suum , sic nihil facit contra vtilitatem nostram. Tu homo imperfectus & pessimus
nihil

nihil debes facere pro honore tuo. Prius est perfici in se, quàm ab aliis laudari : gloria exterior sequitur interiorem bonitatem in se perfectam : sed faciendo omnia pro honore Dei, omnia facies pro tuâ vtilitate.

Illud solùm est homini vtile, quod Deo est gloriosum. Si vis vtilia tibi quærere, non quæras quod tibi est vtile, sed quod Deo est honorificum : imò si vis non inutilis mundo & in mundo esse, solùm gloriam Dei quæras, ad quam creatus es. Omnes qui hinc declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Ille superfluit & otiosus est in mundo, qui honorem Dei non quærit. Omnia vtilitatem sumunt ex fine : si à fine suo declinent, inutilia fiunt. Si sumas dolabram ad calefaciendum te, non solùm inutilis erit ad hoc, sed tu insipiens : si sumas ignem ad læuigandum tabulam, vtilis iam non erit res præ omnibus vtilissima, quam non solùm habebis inutilem, sed perniciosam; comburet & destruet quod volebas perficere : omnia artium instrumenta, præter suum finem, vana & superflua sunt : sic homo, qui non dedicatur ad gloriam Dei, ad quem finem factus est, inutilissimus est, & superuacaneus. A vite, quam plantasti, vis aliquem fructum ; ab omnibus, quæ habes, vis aliquam vtilitatem : cur tu solùm vis inutilis manere ? Ficus illa sine fructu maledicta fuit,

fuit,

fuit, etiam maledicetur homo sine utilitate. Qualem putas, ô homo, amentiam tuam, cum non quæris honorem Dei? maior est, quàm si quæres niuem ad calefaciendum te, aut pictor vsurparet ad pingendum ferram fabri. Nihil tam præter rem, tam extra propositum, tam absurdum, quàm cum quæris, non dico honorem tuum, sed utilitatem solam, si non quæras per virtutem gloriam Dei.

Scito & propone tibi finem tuæ vitæ, ne sis velut sagittarius cæcus. Omnium rerum fines vis noscere, ut scias illis uti: sic, ut te non abutaris, ante oculos semper tuum finem habeas. Te perdis, si quæras quod non cedat in honorem Dei: nihil aliud attendas, & hoc vnum in omnibus rebus attendas. Siue iucunda, siue molesta sint, non aduertas; sed an sint Deo honorifica & grata. Æger quærens sanitatem, non reiicit potionem, quia amara sit; non sumit poculum aquæ frigidæ, quia delectabile, sed solùm attendit, an sit salubre: ideò sumit quod est amarum, reiicit quod est suaue. Indifferens ad omnia sis. Viator cum interrogat viã, siue dirigatur dextrorsum, siue sinistrorum, nihil pertinere ad se putat, dum dirigatur illuc quò pergit: qui ludit tabulã, non proponit hunc vel illum calculum mouere, sed illum quo pro opportunitate

te vincat : ita debemus in vitâ esse ; nec ad san-
 nitatem magis quàm ad ægritudinem, nec ad
 abundantiam plus quàm ad inopiam, nec ad
 honorationem potius quàm ad ignominiam
 inclinari. Utendum rebus est , prout confe-
 runt gloriæ diuinæ : media solum sunt ; non
 habent vsum propter se. Nihil sumas , quod
 ad suum finem non dirigat , licet pretiosum
 sit, quia inutile erit : nihil relinquant, quod ad
 illum faciat , licet acerbum sit, quia pernicio-
 sum erit. Inutilia & vana sunt tibi, quæ ad
 gloriam Dei non fuerint. Numquid vtile erit
 arbori, quod illam non iuuat ad fructum?
 quid iuuabit, si inaurantur folia, sericis in-
 uoluatur truncus, appendantur è ramis gem-
 mæ? omnia hæc inutilia illi sunt & inania;
 & pretiosius illi erit parum stercoreis. Nullam
 vtilitatem tibi præstabunt omnes thesauri &
 diuitiæ mundi, nisi te faciant Deum glorifi-
 care.

O Domine, omnia mihi stercorea sint, vt
 te lucrifaciam : hoc vnum in omnibus pu-
 tem pretiosum, si vilia præ te cognoscam ; si
 te vnum in illis & in me quæram. In conspe-
 ctu tuo nihil omnia sunt : cur ob aliud quàm
 te, qui omnia es, operabor? nõne vanè a-
 gam & omnia vana mihi erunt? O lumen
 Veritatis, concede mihi vt oculus mentis
 meæ simplex sit, te vnum simpliciter & vni-
 cè

cè in Vniuersis respiciens, vt totum corpus meum lucidum sit, & omnia opera meâ grata tibi. Ne te fallas, spiritus ignorans: is qui in intentione errat, errat in omnibus; & quò præstantius opus fecerit, si bona intentio diuini honoris desit, infructuosius aget: nam qui in viâ errat, quò magis prouehitur, magis errat. Qui post longam peregrinationem ac nauigationem magnâ spe quietis frustratur, & noscit se errasse à viâ, videns se in regione oppositâ, quàm molestè fert! O quoties, post spatium huius vitæ, plures se vident errasse, frustrati bonâ spe suâ, & pauperes inuenti sine vllis operibus, quia defuit in illis zelus diuinæ gloriæ. Si vis non decipi, non tibi, sed nomini Dei quære gloriam.

Soli Regi sæculorum immortalis & inuisibili honor & gloria: mihi satis honorificum sit quòd velis, Domine, à me honorari; magnus honos sit videre te honoratum. Honos exhibitus patri, etiam est honos filij: reuerentia præstita Capiti & Rectori alicuius Vniuersitatis & Collegij, redundat ad singulos. Tu caput es rerum, tu Rector huius Vniuersi, tu Pater meus: omnis honor tuus, est honor meus. Non aliter verè honorem potest habere creatura, nisi honorem sui Creatoris participans. Videam te, Domine, honoratum, & ero honoratus: quæram semper gloriam

258 IO. EVS. DE ADOR. IN SPIR. LIB. II.
nibus & per omnia amarem; illius solùm bo-
nitatem desiderarem, laudem quærerem, ze-
lum haberem, gloriam spirarem. Qui sine
respiratione est, mortuus est: perinde fit ac
si non viueret, qui aliquid facit nisi propter
Deum. Perdimus tempus, dum non quæri-
mus æternitatem. Quomodo non amittimus
æternitatem futuram, quæ non est nostra, si
ipsum tempus præsens & nostrum amittimus,
dum purâ intentione non operamur?



IOAN-